PROPERTY OF
Z. P. METCALF

c



COPYRIGHT 1911 A.C.C.



LIBRARY OF
Dr Z P Metcalf
1885_1956

FAVNA ETRVSCA

SISTENS

INSECTA

QVAE

IN PROVINCIIS FLORENTINA ET PISANA

PRAESERTIM COLLEGIT

PETRVS ROSSIVS

IN REGIO PISANO ATHENAEO PVBL. PROF. ET SOC. ITAL.

TOMVS SECVNDVS

Prolem ſine matre creatam.
Ouid. Med. l. 2.

CVM IX TAB.

ITERVM EDITA

ET ANNOTATIS PERPETVIS AVCTA

A

D. CAROLO ILLIGER

SOCIETATVM NATVRAE CVRIOSORVM BEROLINENSIS, GOTTINGENSIS, IENENSIS SOCIO

HELMSTADII

LITTERIS C. G. FLECKEISEN

MDCCCVII.

Nobiſcum cohabitant, et in omnes res noſtras dominium quoddam nobis vtile, vel noxium exercent: ſunt enim miniſtri vel beneficia, vel ſupplicia Dei nutu gentibus afferentes, iuſtum igitur notitiam hoſtis, aeque ac Euergetae quaeri, illius, vt repellatur: huius, vt foueatur: ſine qua fruſtra eſſet, media vel deſtruentia, vel fouentia curare.

MÜLLER. *Fr. Frid.*

PRAEFATIO EDITORIS.

Multum iam inde tempus interlapſum eſt, ex quo prior operis huius pars in lucem prodiit. Cui operi edendo quum primum Cl. Hellwigius tempus et operam ſuam nauaſſet, idem negotiorum deinde multitudine et oculorum qua tum laborabat infirmitate impeditus, mihi quidem et Voluminis primi longe maiorem partem, et totum opus curandum tradidit. Nec ego quidem in mora fui quin illam partem protinus ad finem perducerem: decem exinde annis elapſis, iam et gratia celeberrimorum Entomologiae peritorum, et tempus me admonet, vt totum iam opus abſoiuam cura tantorum Virorum maxime commendatum, nec non Mantiſſae partem poſtremam apendicemque illi adiunctam paullo poſt addam.

 De-

Decennii licet ſpatium eiusmodi ſcriptis obficere videatur, tantum tamen abeſt vt haec mora Faunae noſtrae obſecerit, vt profuiſſe videatur. Entomophylacium enim Hellwigiano-Hofmanseggianum, quod in elaborando opere conſulebam, hoc tempore maxime auctum eſt, praeſertim Luſitaniae, Galliae meridionalis, Italiae et Hungariae inſectis, quorum magna pars Etruriae communis eſt, ita, vt pauca Etruriae inſecta ſuperſint, quae non ipſe viderim. Cel. Roſſi ipſe interea e liberali ſuo animo, vt noſtrae editioni prodeſſet, magnam ſpecierum ab ipſo deſcriptarum copiam Hellwigio donauit, rariſſimasque illi videndas communicauit; quo factum eſt, vt plures dubias ſpecies certo determinare et generi ſuo adſcribere potuerim. Syſtema entomologicum inclytorum Virorum: Fabricii, Latreillii, Meigenii aliorumque ope nouiſſimis potiſſimum annis adeo emendatum atque auctum eſt, vt denuo conditum eſſe videatur. His ſyſtematis emendationibus in determinandis ſpeciebus me vti potuiſſe, magnum ſane emolumentum eſt, quod ſola cunctatione conſecutus ſum. At e mora illa hoc damni operi accedere poterat, quod multae eius nouae ſpecies, aut primae editionis tem-

tempore minus recte cognitarum deſcriptiones, quippe quae in Entomologorum ſcripta recentiora transierint, nouitatis et gratiam et meritum amiſerint. Quod tamen negare auſim. Hic enim tomus ſecundus eos inſectorum ordines tractat, quos Entomologi hucusque minus curauere, Eleutherata et Gloſſata prae caeteris excolentes. Cel. Panzer quidem plures horum ordinum ſpecies et Roſſianas, in nitida Fauna Germaniae depinxit, cl. Olivier in Encyclopaedia methodica eas deſcripſit, cl. Meigen in Syſtemate Dipterorum antliata Roſſiana enumerauit, cel. Latreille plures ſpecies Europae auſtralis cura et arte ſua ſolita illuſtrauit — attamen magna ſpecierum copia reſtat, quae nulli horum Auctorum innotuere, noſtraeque Faunae relictae ſunt. Mihi ſoli haec editionis dilatio nocuit in eo, quod multas annotationes et obſeruationes ad editionem parandam ante decennium iam conſcriptas tunc quidem temporis nouas, ſed iam in illorum Virorum ſcriptis contentas, vt ſuperuacaneas ſupprimere coactus ſim, ne ab alio dicta rurſus exhibeam. At eam iacturam aequo animo fert, cuicumque diſciplinae, quam ornare cupit, potius quam ſui ipſius vtilitas ante oculos obuerſatur.

In

In exhibendis ſynonymis quod ad modum attinet in priore tomo acceptum, hic tomus eo differt, quod ſynonyma ab Auctore ipſo enumerata integra conſeruaui, iis modo praetermiſſimis quae aperte falſa cenſenda ſunt, et mea ſynonyma ſub ſigno ♀ addidi.

Tabulae aeneae octo huic tomo et Mantiſſae adiunctae, eaedem ſunt, quas cl. Roſſi operi ſuo olim additas, iam benignitate ſua ad hunc vſum nobis conceſſit, quibus tabulam nonam Sphingis Nerii hiſtoriam nonnullasque inſectorum ſpecies nouas exhibentem a cel. Roſſio itidem delineatam nondum vero aeri inciſam, vltro addidimus.

C. Illiger.

ENTO-

ENTOMOLOGIA ETRVSCA.

CLASSIS TERTIA.
SYNISTATA.

Os palpis quatuor. Maxilla inferior connata cum labio.

Obſ. A Syniſtatorum ordine cel. Fabricius in Entomologia ſyſtematica ſua *Piezatorum* et *Mitoſatorum* ordines ſeiunxerat, *Monoculum* vero cum *Oniſci* magna parte *Agonatis* annumerauerat; in Supplemento Entom. denique *Oniſcum, Monoculum* generaque nonnulla eis affinia ordine nouo *Polygonatorum* exhibet, quibus character eſt: *Maxillae plures intra Labium.* I.

(p. 1)

XCVIII. MONOCVLVS.

Palpi vtrinque quatuor, ſenſim decreſcentes. *Antennae* breuiſſimae. Suppl.

Obſ. Monoculorum genus in plura maxime naturalia diſtinguendum eſſe, nunc celeberrimo Fabricio ipſi perſuaſum eſt. Cel. Latreille ſynonyma hanc ob cauſſam adiecimus, vt genera, ad quae ſpecies ab Auctore enumeratae pertinent, indicentur. I.

660. *M. Apus* antennis trifidis, cauda bifida. F. Sp. 372. 3.

Linn. Syſt. Nat. 1858. 3. Fn. Sv. 2046.
Binoculus cauda biſeta. Geoffr. Inſ. 2 660, 1. t. 21. f. 4.
Apus cancriformis Schaeff. Monogr. 1756. t. 1-6.
Schaeff. Elem. t. 29. f. 1. Icon. t. 150. f. 1. 2. 3.
♀ *M. Apus* Fabr. Suppl. 305. 1.
Apus cancriformis Latreille Hiſt. nat. des Cruſtacés et Inſect. IV. 193. 1. tab. 19-26. et tab. 27. fig. 1-5.

Habitat Piſis, non rarus in foſſis vulgo dictis *S. Iuſti*, quae in paludem fluunt.

Linnéi *M. Apus* ad *Apodem productum* Latreille l. c. 195. 2. pertinet, ad quem Schaeff. Monog. tab. 6. quoque referenda eſt. Neſcio, vtrum Auctor *Ap. cancriformem* Latr. an eius *productum* habuerit, quos citatis ſuis confundit. I.

(p. 2.)

661. *M. Quadricornis*, antennis quaternis, cauda recta bifida. F. ſp. 374. 8.

Linn. Syſt. Nat. 1058. 6. Fn. Sv. 2049. Geoffr. Inſ. 2. 656. 3. t. 21. 5.
De Geer Inſ. 7. 483. 7. t. 29. f. 11. 12.
Baker Microſc. t. 9. f. 1. 2.
Roeſ. Inſ. 3. t. 98. f. 1. 2. 4.
Scop. Ent. Carn. 1139.
Leuwenh. Lettre 121. du 16. Oct. 1699. p. 144. f. 1.
♀ *M. quadricornis* Fabr. Ent. Syſt. 2. 500. 49.
Cyclops quadricornis Latr. H. N. IV. 262. 1. tab. 23. fig. 5-8.

Deſcriptio frequens apud Micographos.

Habitat in aquis ſtagnantibus paſſim.

662. *M. conchaceus*, antennis capillaribus multiplicibus, teſta biualui. F. Sp. 374. 9.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 1059. 7. Fn. Sv. 2050
De Geer Inſ. 7. 476. 6. t. 29. f. 5. 6. 7.
Geoffr. 2. 657. 4.
♀ *M. conchaceus* Fabr. Ent. 2. 496. 31.
Cypris conchacea Latr. H. N. IV. 246. 7.

Magnitudine variat. — Long. 1¼, lat. ⅓ lin. Habitat in aquis ſtagnantibus, velociſſime antennis exſertis natans.

663. *M. Pulex*, antennis dichotomis, cauda inflexa acuta. F. Sp. 373. 4.

De Geer Inſ. 7. 442. 1. t. 27. f. 1. 2. 3. Deſcript. accuratiſſ.
Pulex aquaticus Schaeff. Monog. 1755. t. 1. f. 1-8.
Schaeff. Elem. t. 29. f. 4.
Geoffr. Inſ. 2. 655. 1.
Swammerd. 4. p. 66. t. 1.
♀ *M. Pulex* Fabr. Ent. 2. 491. 11.
Daphnia Pulex Latr. H. N. 4. 223. 1. tab. 23. fig. 2. 3.

Aeſtate exſiccati reuiuiſcunt affluente aqua Linn. Fabriciusque: at de *M. Apo* mihi non conſtat. Habitat in aquis dulcibus.

(p. 3.)

XCIX. ONISCVS.

Labium quadrifidum, laciniis intermediis palpigeris. *Antennae* ſetaceae.

664. *O. Aſilus*, abdomine foliolis duobus obtecto, cauda ſemiouali. F. Sp. 375. 3.

Linn. Syſt. Nat. 1059. 1. Fn. Sv. 2052.
Aſilus ſ. *Oeſtrum Bell. aquat.* 443.
Petiv. Gazoph. t. 155. f. 1.
Pediculus marinus. Rond. Piſc. 576. qui differre vult ab Aſilo etc.

♀ *Cymothoa Aſilus* Fabr. Ent. 2. 504. 4. Suppl. 305. 4.
Aſellus Aſilus Oliv. Encycl. meth. Inſect. 4. 253. 5.
Cymothoa Aſilus Latr. H. N. 7. 23. 2. tab. 58. fig. 9. 10.
Deſcribit eum Gronov. Zooph. 233. 997.

Viuiparus auctoritate etiam Linnaei et Fabricii. Menſe Decembris pluries mihi datum deprehendere feminam gerentem ſub valuis abdominis non oua, ſed fetus circiter ducenos iam natu proximos, qui ob nigrum oculorum colorem facillime numerari poſſunt.

Habitat in Sinu Maris Liburnici prope Piſas, loco vulgo dicto Marina, a piſcatoribus cum Mullis, aliisque piſcibus quibus inhaeret, non raro captus. Long. 12, lat. 6 lin.

(p. 4.)

665. *O. aquaticus*, cauda rotundata, ſtylis bifurcis, antennis quaternis. F. Sp. 376. 6.
Linn. Syſt. Nat. 1061. 11.
Geoffr. Inſ. 2. 672. 1.
Squilla Aſellus De Geer Inſ. 7. 496. 1. t. 31. f. 1.
Schaeff. Elem. t. 22.
♀ *Cymothoa aquatica* Fabr. Ent. 2. 505. 8.
Idothea aquatica Fabr. Suppl. 303. 7.
Aſellus aquaticus Enc. meth. 4. 252. 1.
Aſellus vulgaris Latr. H. N. VI. 359. VII. tab. 58. fig. 1.

Habitat in aquis inter Conferuas. Long. 4, lat. 1½ lin.

666. *O. Aſellus*, oualis, cauda obtuſa, ſtylis duobus ſimplicibus. F. Sp. 379. 22.
Linn. Syſt. Nat. 1061. 14. Fn. Sv. 2058.
Geoffr. Inſ. 2. 670. 2.

De

De Geer Inſ. 7. 547. 1. t. 35. f. 3.
Scop. Ent. Carn. 1142.
Schaeff. Elem. t. 92. Icon. t. 155. f. 1.
♀ *O. Aſellus* Fabr. Ent. 2. 397. 7. Suppl. 300. 3.
Panz. Faun. Inſ. Germ. 9. tab. 21.
Oliv. Enc. meth. 5. 23. 1.
Latreille H. N. 7. 42. 1.

Habitat in muris, et ligno putrido frequens. Long. 4, lat. 2⅓ lin.

(p. 5.)

667. *O. Armadillo*, oualis, cinereo-fuſcus, cauda obtuſa integra. F. Sp. 379. 23.

Linn. Syſt. Nat. 1062. 15. Fn. Sv. 2059.
♀ *O. Armadillo* Fabr. Ent. 2. 297. 5.
O. zonatus Panz. Fn. Germ. 9. tab. 23.
Iulus limbatus Enc. meth. VII. 414. 6.
Glomeris limbatus Latr. H. N. VII. 66. 6.

Tactus ſe in globum immobilem durum contrahit. Habitat ſub lapidibus. Long. 4½, lat. 2 lin.

Citatum: Geoffr. Inſ. 2. 670. 1. omiſi, Oniſcus enim eius ad aliud genus *Armadillo* pertinet, pedum numero caudalique ſegmento vtrinque appendiculato a *Glomeride* Latr. diſtinctum. Roſſii *Oniſcus Armadillo* vtique ipſe dubius eſt. I.

668. *O. puſtulatus?* oualis, ater, ſegmento primo punctis quatuor, reliquis duobus rubris. F. Sp. 379. 21?

♀ *Glomeris puſtulatus* Latr. H. N. VII. 65. 4.
Iulus puſtulatus Enc. meth. VII. 414. 4.

Frons duplicatura duplici laeuiſſima, quaſi lineis duabus transuerſis ſubtiliſſimis exarata. Antennae articulis quinque ſecundo, et vltimo longiori, in cadauere conuolutae. Segmenta decem, cauda obtuſa. Pedes vtrinque quatuordecim. Plerumque

rumque niger, lucens, ſegmento primo maculis rubris quatuor, ſaepe eodem ordine continuatis in aliis ſegmentis vsque ad vltimum tantum bimaculatum. Colore variat; nunc color fuſcus, ſubrufus, maculis pallidioribus, nunc niger maculis rufis, aut flaueſcentibus, ſemper tamen nitens. Crederem *O. maculatum*, niſi obſtaret magnitudo, et numerus linearum, qui numquam ſeptenarius. Tactus in globum ſe contrahit vt *Armadillo*. Forte nouus?

Inuenti plures Florentiae vno tantum loco, vulgo dicto Soffiano ſub ſaxis. Long. 5, lat. 3 lin.

Scopolii *On. Armadillo* Carn. 1144. ab Auctore citatus, idem ac Fabricii et Panzeri Fn. Germ. 9. tab. 22. *On. puſtulatus* videtur, quem ab h. l. deſcripto diſtinguendum putamus, hinc citatum omiſimus. Latreillii *Glomeris puſtulatus* cel. Roſſii ſpecies videtur, in Germania quoque degens. I.

(*p. 6*)

C. LEPISMA.

Palpi inaequales. *Labium* rotundatum, membranaceum, emarginatum. *Antennae* ſetaceae.

669. *L. lineata*, cauda triplici corpore fuſco vittis duabus albis. F. Syſt. Ent. 300. 3.
An *L. vulgaris* Scop. Ent. Carn. 1026?

♀ *L. lineata* Fabr. Ent. 2. 64. 3.
Latreille VIII. 63. 3.

Palpi quatuor inaequales, antici longiores filiformes quadriarticulati; poſtici breues clauati articulis tribus. Antennae ſetaceae longitudine cor-

corporis. Tota ſupra griſeo-fuſca, ſubtus ſquamulis argenteis tecta. Thorax ſcutis tribus poſtice emarginatis: corpus anguſtius, et longius ac in *L. Saccharina*, quam ſemel tantum inueni. Cauda triplex pilis villoſis, intermedia breuiore. Habitat inter vtenſilia, et poſtes feneſtrarum frequens; ocyſſime currit. Long. 4½, lat. 1⅓ lin.

Scopolii *L. vulgaris* nobis valde dubia eſt. — Caput et corpus, praeſertim margine, pilis faſciculatim diſpoſitis erectis diuergentibus obſita ſunt; ſetae caudales pilis verticillatis. Vittae obſoletae eſſe ſolent. I.

670. *L. polypoda*, ſaltatoria, cauda triplici, abdominis ſegmentis vtrinque villoſis. F. Sp. 380. 2.

Linn. Syſt. Nat. 1012. 2.
Geoffr. Inſ. 2. 614. 2.
♀ *L. polypoda* Fabr. Ent. 2. 63. 2.
Sulz. Hiſt. Inſ. tab. 29. fig. 1.
Machilis polypoda Latr. H. N. VIII. 67. 1. tab. 78. fig. 1.

Habitat in ligno putrido, et truncis arboribus, in ſiluis non rara. Long. 4½, lat. 1 lin.

Segmentum ſingulum vtrinque appendiculo ſpiniformi armatum video, vti Linnaeus. I.

(p. 7.)

CI. PODVRA.

Palpi ſubclauati. *Labium* bifidum. *Antennae* ſetaceae.

671. *P. aquatica*, nigra, aquatica. F. Sp. 382. 15.

Linn. Syſt. Nat. 1014. 12. Fn. Sv. 1934.

Geoffr.

Geoffr. 2. 610. 8.
De Geer Inſ. 7. 23. 7. t. 2. f. 14. 15.
♀ *P. aquatica* Fabr. Ent. 2. 67. 15.
Latreille H. N. VIII. 75. 1.
Podurae cinereae (conf. De Geer l. c.) at rariores, his ſocietate iunguntur an ſexu, an aetate, an ſpecie diſtinctae?
Habitat gregatim in aquis ſtagnantibus.

CII. EPHEMERA.

Maxillae ſuperiores nullae. *Antennae* ſubulatae.

672. *E. vulgata*, cauda triſeta alis fuſco-reticulatis maculatisque, corpore fuſco. F. Sp. 383. 1.
Linn. Syſt. Nat. 906. 1. Fn. Sv. 1472.
Geoffr. Inſ. 2. 238. 1.
De Geer Inſ. 2. 2. t. 16. f. 12. 13.
♀ *E. vulgata* Fabr. Ent. 2. 68. 1.
Enc. méth. VI. 417. 1.
Panz. Fn. Germ. 94. tab. 16.
Ephemerae laruae natánt in aquis, volatiles factae, vno ſaepe eodemque die nuptias, puerperia, et exſequias celebrantes. Linn.
Habitat in aquoſis. Long. 9 lin.

(p. 8.)

673. *E. lutea*, cauda triſeta, alis hyalinis, corpore luteo. F. Sp. 383. 2.
Linn. Syſt. Nat. 906. 2.
Geoffr. Inſ. 2. 238. 2.
♀ *E. lutea* Fabr. Ent. 2. 68. 2.
Enc. méth. VI. 417. 2.
Habitat ad aquas. Iul. menſ. ſub nocte interdum copioſiſſima ad Arni aquas. Long. 4½ lin.

674. *E. veſpertina*, cauda triſeta, alis nigris, poſticis albis. F. Sp. 384. 4.
Linn. Syſt. Nat. 906. 4. Fn. Sv. 1480.
Geoffr. Inſ. 2. 239. 4.
De Geer Inſ. 2. 2. 646. 2. t. 17. f. 11.
♀ *E. veſpertina* Fabr. Ent. 2. 69. 5. ?
Encycl. méthod. VI. 417. 4. ?
Minima; tota nigra praeter alas hyalinas, antennis ſetisque corpore triplo longioribus. Habitat in aquoſis. Long. 1¼ lin.

675. *E. nigra*, cauda biſeta, corpore nigro, alis nigricantibus, poſticis minimis. F. Sp. 385. 8.
Linn. Syſt. Nat. 907. 7. Fn. Sv. 1478.
♀ *E. nigra* Fabr. Ent. 2. 70. 10.
Encycl. méthod. VI. 419. 12.
Habitat in aquoſis. Long. 3 lin.

676. *E. horaria*, cauda biſeta, alis albis, margine craſſiori nigricante. F. Sp. 385. 9.
Linn. Syſt. Nat. 907. 9. Fn. Sv. 1476.
Geoffr. Inſ. 2. 240. 8.
Ephemeria minima Swammerd. in 4to. 87.
♀ *E. horaria* Fabr. Ent. 2. 71. 13.
Encycl. méth. VI. 419. 13.
Habitat ad aquas, frequens in feneſtris. Long. 4 l.

(p. 9.)

677. *E. diptera*, cauda biſeta, alis duabus, coſta marginali fuſca cinereo-maculata. F. Sp. 385. 12.
Linn. Syſt. Nat. 907. 11. Fn. Sv. 1477.
De Geer Inſ. 2. 2. 656. 5. t. 18. f. 5.
Habitat in aquoſis. Long. 3 lin.

De Geer l. c. ſub titulo maris E. dipterae veram *E bioculatam* Linnaei S. N. 2. 906. 4. Fn. Sv. 1473. de-

deſcripſit ac depinxit, cui tamen conſentire nequimus, cum alae tantum differant, quas ita pro ſexu variare, nulla experientia confirmatum eſt. De Geer imo ipſe eius neutiquam certus, ſed coniectura ſua ſola in hanc ſententiam ductus eſt. Caeterum haec genuina *E. bioculata* Linnaei Auctoribus ignota manſit; omnes enim longe diuerſam tetrapteramque ſpeciem corpore flauo alisque coſta luteo tinctis, a Panzero Fn Germ. 94. tab. 17. ſub *E. bioculatae* nomine depictam, pro hac Ephemera Linnaeana, alis duabus ſolummodo inſtructa, tuberculisque capitis duabus maximis longitudinalibus, in ſpecimine exſiccato veluti Pezizam referentibus, inſigni venditauere, cui abdomen anterius pellucidum, color corporis brunneus, alaeque hyalinae albo - reticulatae ſunt. Geoffr. Inſ. II. 240. 6. eam deſcripſit; imo Fabricium ipſum ſub *E. albipenni* Ent. 2. 70. 12. eandem deſignaſſe, non dubitamus. Cui ſpeciei nomine *Bioculata* reddito, *E. bioculata* Fabr. Panz. *E. ictera* nobis audit. I.

CIII. SEMBLIS.

Palpi filiformes. *Maxilla* bifida. *Labium* membranaceum integrum. *Antennae* ſetaceae.

678. *S. lutaria*, ecaudata, alis reticulatis. F. Sp. 387. 8.

Geoffr. Inſ. 2. 255. 3.
De Geer Inſ. 2. 2. 716. 5. t. 22. f. 14. 15.
Schaeff. Icon. t. 37. f. 9. 10.
Roeſ. Inſ. 2. Aquat. 2. t. 13.
♀ *S. lutaria* Fabr. Ent. 2. 74. 10.
Sialis lutaria Latreille.

Oua plurima aggregata brunnea plantis aquaticis agglu-

agglutinat. F. Habitat larua in aquis ſtagnantibus; imago ad aquas easdem, pigerrima. Long. 6½ lin.

Celeb. Auctor cum Fabricio aliisque *Hemerobium lutarium* Linn. S. N. 913. 14. Fn. Sv. 1513. allegat, at vt alas albidas ſtriatas *albo-maculatas* taceam, quales Sialis ſ. Semblis noſtra non habet, quomodo neruorum alae deſcriptionem curate factam Linnaei in Fn. Sv. cum alis Semblidis noſtrae, imo Semblidis alicuius conferre valemus? Imo Fabricii differentia ſpecifica: *alis reticulatis*, Linnaeanae deſcriptioni recta contraria eſt. At in deſcriptione Linnaeus alas inſecti ſui ab alis Hemerobii veri denſe reticulatis diſtinguere ſtudet. Quod quidem non nego, nihilominus vero plura reſtant, quae in Semblidis Fabricianae alas non cadunt. Tutius itaque Linnaei inſectum ſeponamus, vsquedum e muſeo eius melius innoteſcat. — Citatum Schaeff. Elem. tab. 97. ad aliam ſpeciem ſpectans, omiſi. I.

(p. 10.)

CIV. PHRYGANEA.

Maxillae totae connatae cum labio inferiori. *Antennae* ſetaceae.

679. *P. ſtriata*, alis teſtaceis, neruoſo-ſtriatis. F. Sp. 388. 2.

Linn. Syſt. Nat. 908. 5. Fn. Sv. 1483.
Linn. S. N. ed. 10. 547. 2.
Reaum. Inſ. t. 3. t. 13. f. 8. 9. 11.
Geoffr. Inſ. 2. 246. 1. t. 13. f. 5.
♀ *P. ſtriata* Fabr. Ent. 2. 75. 1. 2.

Phryganeae laruae latent ſub aqua intra tubos cylin-

cylindricos mobiles a ſe confectos. Habitat in aquoſis. Long. 11 lin.

Scopolii Ph. ſtriata E. Carn. 688. eadem eſſe nequit, hinc a me omiſſa. De citato e Geoffroy dubium non leue inde oritur, quod deſcriptor tam oculatus alas *ſtriatas* F. venis hyalino-innatis, maculis ſtrigisque obſoletis hyalinis pictas accuratius deſignaſſet, ac l. c. factum eſt. I.

680. *P. rhombica*, alis griſeis, macula laterali rhombica alba. F. Sp. 389. 10.

Linn. Syſt. Nat. 909. 8. Fn. Sv. 1486.
Geoffr. Inſ. 2. 246. 2.
Reaum. Inſ. 3. t. 14. f. 5.
Schaeff. Elem. t. 100. Icon. t. 90. f. 5. 6.
♀ *P. rhombica* Fabr. Ent. 2. 77. 13.

Habitat larua in aquis intra cylindrum ex ramulis gramineis transuerſis. Long. 7 lin.

Geoffroy laruae Phryganeae ſuae, quam eandem tamen cum Linnaeana habeo, cylindrum teſtaceorum fragmentis et lapidunculis tectum tribuit; Roeſel illum e fruſtulis gramineis confectum deſcribit. I.

681. *P. nigra*, alis nigris, antennis longiſſimis. F. Sp. 390. 14.

Linn. Syſt. Nat. 909. 11.
De Geer Inſ. 2. 2. t. 15. f. 21.
♀ *P. nigra* Fabr. Ent 2. 79. 20. Linn. Fn. Sv. 1490.

Habitat ad aquas freqüens. Long. 1 $\frac{2}{3}$ lin.

Geoffr. Inſ. II. 250. 10. quem Auctor cum Fabricio allegat, aperte excludendus eſt. De Geerii inſectum antennis albo-annulatis, pedibus magis minusue griſeis, palpisque longiſſimis villoſis ſatis inſigne, num Linnaeanum ſit; cui antennae nigrae tribuuntur, cuiusque palpos tacet deſcriptio? Auctor

ctor noſter menſuram $1\frac{2}{3}$ lin. tantum exhibet; Degeeriana ſpecies cum alis applicatis 4 lin. longum eſt. I.

(p. 11.)

* 682. *P. Waeneri*, cinerea, alis poſticis pallidioribus: margine interiori piloſo albido.

Linn. Syſt. Nat. 910. 17. Fn. Sv. 1494.

♀ *P. Waeneri* Fabr. Suppl. 201. 28. 29.

Vix maior culice. Antennae corpore breuiores. Alae poſticae margine interno ciliatae. Legenti mihi ſub veſperum prope feneſtram Arni aquas reſpicientem quieuit in libro.

CV. HEMEROBIVS.

Palpi filiformes. *Maxilla* recta apice fiſſa. *Labium* corneum fornicatum. *Antennae* ſetaceae.

683. *H. Perla*, luteo-viridis alis hyalinis, vaſis viridibus. F. Sp. 392. 2.

Linn. Syſt. Nat. 911. 2. Fn. Sv. 1504.

Ray. Inſ. 274. Petiv. Muſ. 4. 6.

Geoffr. Inſ. 2. 253. 1. t. 13. f. 6.

Reaum. Inſ. 3. t. 33. f. 2. 2. 5. 6.

Alb. Inſ. t. 64. Schaeff. Icon. t. 5. f. 7.

♀ *H. Perla* Fabr. Ent. 2. 82. 2.

Panz. Fn. Inſ. Germ. 87. 13.

Oris partes repraeſentat Coquebert ill. icon. Inſ. tab. 2. fig. 15.

Oua ſtipiti capillari inſident, paginae foliorum inferiori adhaerentia. Larua aphidophaga. Habitat in hortis. Long. $5\frac{1}{2}$ lin.

H. Chryſops Scop. Ent. Carn. 708. ab Auctore h. l. citatus eſt *H. Chryſops* Fabr. cf. infra N. 687. I.

* 684.

(p. 12.)

* 684. *H. Italicus*, pallide-flauus, abdominis dorſo fuſco, alis immaculatis, hyalinis.

♀ *H. lateralis* Encycl. method. VII. 61. 10.

Duplo maior *H. Perla.* Antennae ſetaceae fuſcae articulo primo flauo corpore longiores. Caput flauum. Oculi magni, fuſco-aenei. Thorax antice planus, poſtice trilobus, flauus margine laterali fuſco. Abdominis dorſum fuſcum ano ſubtus flauo. Pectus pedesque flaua. Alae omnes ſubaequales, magnae, albae hyalinae, immaculatae venulis transuerſis, armato oculo, nigris. Pedes poſtici colore variant. Tab. X. f. 12. Habitat Florentiae. Long. 6, lat. 1 lin. Alae long. 12 lin.

E Gallia meridionali allatam hanc ſpeciem poſſidemus. Antennae apicem verſus in luteum colorem abeunt. Abdominis dorſum longitudinaliter quidem nigricat, at lateribus flauum eſt. Alarum nerui transuerſales medio pallidiores, at vbi neruis longitudinalibus iunguntur, nigri ſunt. I.

685. *H. albus*, albus, alis hyalinis, oculis aeneis. F. Sp. 392. 3.

Linn. Syſt. Nat. 911. 3. Fn. Sv. 1506.

♀ *H. albus* Fabr. Ent. 2. 82. 4.

Encycl. meth. VII. 60. 7.

Simillimus *H. Perlae*, ſed paulo minor, corpore toto albo, alarum vaſis minime obſcuris. Vnus mihi prodiit e larua in horti pariete inuenta, tota quisquiliis, et fruſtulis obtecta incedente, quibus a me ſpoliata, rurſus ea cum oris forcipe colligens, corpori ſuper imponebat. Vide Reaum. t. 3. p. 2. t. 33. f. 13. Habitat in hortis rarior. Long. 5 lin.

Corpus

Corpus ſaepius luteum aut vireſcens eſt. Alarum paraſtigma oblongum vireſcens; alae nitore margaritaceo reſplendentes. — Scopoli *H. flauus* Ent. Carn. 707, quem ad hunc refert Auctor Encycloped. meth. alia ſpecies eſt, *H. Perla* triplo maior. Idem citatum a cel. Fabricio *H. capitato* Ent. 2. 82. 5. adſcribitur, at minus recte. Panzeri *H. albus* Fn. Germ. 87. tab. 14, quem ob nimiam magnitudinem cum *H. albo* Linn. Fabr. coniungi nequimus, forte *H. flauum* Scop. repraeſentat. I.

686. *H. hirtus*, flaueſcens, alis albis, ſtrigis fuſcis. F. Sp. 393. 7.

Linn. Syſt. Nat. 912. 6. Fn. Sv. 1507.
De Geer Inſ. 2. 2. 711. 2. t. 22. f. 4.
♀ *H. hirtus* Fabr. Ent. 2. 84. 10.
Encycl. meth. VII. 61. 13.

Habitat in humulo et corylo. Long. 3 lin.

(p. 13.)

687. *H. Chryſops*, viridi nigroque varius, alis hyalinis, maculis reticulatis. F. Sp. 393. 4.

De Geer Inſ. 2. 2. 708. 1. t. 22. f. 1.
Reaum. Inſ. 3. t. 33. f. 14. 16.
Schaeff. Icon. t. 5. f. 7. 8.
♀ *H. variegatus* Muſeum Hellwigiano-Hoffmanseggianum.
H. Chryſops Fabr. Ent. 2. 83. 6.
Scopoli Ent. Carn. 708.
Encycl. meth. VI. 60. 8.

Habitat in plantis frequens. Long. 6 lin.

Nerui longitudinales virides, tranſuerſales fuſcae ſunt. — Linnaei deſcriptio *H. Chryſopis* Fn. Sv. 1505. S. N. 912. 4. *Hemerobium maculatum* Fabr. Ent. 2. 83. 7. Roeſ. Inſ. 3. tab. 21. fig. 3. *H. fului-*

cepha-

cephalum Villers Ent. 2. 55. 20. tab. 7. fig. 7. Scop. Carn. 706. deſignat, qui ob ſtemmata tria frontalia, quae Hemerobiis reliquis deſunt, celeb. Latreille peculiare genus *Osmylus* conſtituit. E citatis huius ſpeciei itaque delendus, et eadem nouo nomine deſignanda erat. Geoffroy Inſ. II. 254. 2. quem itidem allegant Auctores, quamuis Hemerobius *H. Perla* dimidio minor, corpore luteo, alarumque neruis fuſco-punctatis ibidem deſcribatur, *Ho. Humuli* Fabr. Ent. 2. 84. 13. aperte adſcribendus eſt. Vtrumque citatum itaque omiſimus. I.

* 688. *H. marginalis*, flauus, alis hyalinis, margine fuſcis, corpore triplo longioribus.

Linn. Syſt. Nat. 912. 9.

♀ *Termes paruulum* Muſeum Hellw.-Hoffm.?

Corpus totum obſcure flauum, in cadauere fuſcum. Caput atrum, glaberrimum. Antennae flauae articulis ſedecim globoſis piloſis, vix thorace longiores. Palpi quatuor. Abdomen breuiſſimum gibbum. Alae omnes ſubaequales, flauo-hyalinae, planae, incumbentes, vna ſupra alteram margine fuſco, et corpore triplo longiores. Pedes flaui. Variat alis obſcurioribus. Habitat in pratis et locis humentibus. Inſectum pigrum, et a me ſaepe lectum ſemiuiuum ſuper aquis ſtagnantibus. Long. $3\frac{2}{3}$ lin.

Inſectum hic deſcriptum Termitis pro ſpecie declarare non cunctarer, quum ob citata ab Auctore allata e Linnaeo et De Geerio (*Perla naſuta* De Geer Inſ. III. 568. 2.) licet aliud inſectum deſignantia, ideoque reprimenda, tum ob deſcriptionem, in *Termes paruulum* noſtrum e Luſitania a clariſſ. Comite ab Hoffmansegg allatum, optime quadrantem, colore

lore corporis nigricante *Paruuli* ſolo excepto, niſi cel. Roſſi in Mantiſſa *Termes lucifugum* deſcriberet, huic *Paruulo* ſimillimum, ſine vlla adiecta, hunc *Hemerobium marginalem* Faunae reſpiciente nota, quae tamen iure exſpectanda erat. I.

CVII. MYRMELEON.

Palpi ſex inaequales, inferiores longiores articulis vltimis duobus extrorſum craſſioribus.
Antennae clauatae.

(p. 14.)

689. *M. libelluloides*, alis griſeis, fuſco-maculatis, corpore nigro flauoque variegato. F. Sp. 398. 1.

Drury Inſ. 1. t. 46.
Libella Turcica Petiv. 6. t. 3. f. 1.
Ray. Inſ. 53. Roeſ. Inſ. 3. t. 3. p. 125. t. 21. f. 1.
♀ *M. Aeſchnoides* Muſ. Hellw. Hoffm.
M. libelluloides Villers Ent. III. 57. 1. tab. 7. fig. 9.

Mas cauda forcipata. Habitat in agro Florentino; in Piſano rarior prope balnea D. Iuliani. Long. 26 lin.

Duae ſpecies confunduntur, quarum alteram, Africae indigenam, Linn. Muſ. Lud. Vlr. 401. et De Geer Inſ. III. 565. 2. Sulz. Hiſt. t. 25. f. 3. deſcripſere; occipite fuſco, neruis alarum anticarum baſi citrinis, alisque anticis fuſco-punctatis maculisque fuſcis quatuor maioribus obſcurius marginatis, venis harum macularum haud dilatatis; margine interno punctis diſtinctis, abdomine baſin verſus ruſeſcente non lineato, pedibus nigricantibus, differt ab altera, quam ex Italia, Gallia auſtrali, et Luſitania habemus. Haec *M. Aeſchnoides* nobis audit, a Drury l. c. depicta, occiput ei luteum;

vitta media poſtice per thoracem continuata nigra; alae anticae nerui baſi nigri albido varii, alarum maculae maiores fuſceſcentihyalinae, immarginatae, venis in illis maculis obſcuro-dilatatis; ala interius venis fuſcis hinc inde reticulata punctis paucioribus maculisque marginalibus fuſcis; femora et tibiae rufa apice nigra. Abdomen citrinum nigro-lineatum. De citato Roeſelii, ex quo Linnaeus *Hemerobium ſpecioſum* Syſt. Nat. 912. 7. confecit, alii iudicent, cum Roeſelii opus non in promptu mihi ſit. I.

* 690. *M. libelluloides Piſanus*, villoſus, alis griſeis, immaculatis, neruis nigro-punctatis, thorace rubro-cinereo, linea nigra duplici longitudinali, corpore toto nigro, albo-marginato vngulis tibiarum recuruis.

♀ *M. Piſanus* Mant. 108. 235.

M. Piſanus Panz. Fn. Germ. 59. t. 4.

M. occitanicus Villers Ent. 3. 63. 9. tab. 7. fig. 10.

Hic niſi nouam conſtituit ſpeciem, pro inſigni varietate ſaltem habendus. Magnitudo *M. libelluloidis*, ſed griſeus magis, et villoſior, corpore toto nigro ſegmentis margine albis; differt etiam alis immaculatis, neruis tantum nigro-punctatis. Caput et thorax rubro-cinerea, linea nigra duplici longitudinali (in Libelluloide faſcia) a fronte ſuperius decurrente vsque ad abdomen, prope quam ſunt duae aliae breuiores. Antennae longiores quam in praecedente et palpi magis clauati. Tibiae vngulatae ad apicem vti in Libelluloide, ſed in hoc vngulis introrſum recuruis. Femina. Capti duo Piſis. Vnus volauit ad lumen candelae ardentis eo loco quo conuenire ſolent

lent ad recreandos animos, qui D. Iuliani balnea frequentant. Alter conſtitit ſupra limen ſolarii in vrbe d. 12. Iul. Tab. IX. f. 8. Quoad vero iam praenotam ſpeciem Linnaeanam, dicendum, quod cum vnum obtinuiſſem captum in agro Florentino ad ripas fluminis Hemae, vulgo dicto Pozzolatico; curaui vt anno poſteriori alii inueſtigarentur, et ita contigit, vt habere potuerim non paucos vtriusque ſexus, omnes in alis eleganter maculatos, et reſpondentes deſcriptionibus *M. libelluloidis* Auctorum. Inſidet Iun. menſ. ad morem *Libellulae* Tritici ſpicis in loco praedicto: ſed habitat etiam alibi.

Noſtra ſpecimina ex Italia, Luſitania, Gallia meridionali, Hungaria et Roſſia auſtrali habemus. I.

(p. 15.)

691. *M. formicarius*, alis fuſco-nebuloſis, macula alba marginali poſtica. F. Sp. 398. 3.

Linn. Syſt. Nat. 914. 3.
Geoffr. Inſ. 2. 258. 1. t. 14. f. 1.
Reaum. Inſ. 4. t. 14. f. 18. 19. t. 11. f. 8. t. 32. 33. 34. f. 7.
Schaeff. Elem. t. 65. Icon. t. 22. f. 1. 2.
♀ *M. Formicarius* Fabr. Ent. 2. 93. 5.
Panz. Fn. Germ. 95. tab. 11.
M. formicaleo Linn. Fn. Sv. 1509.

Larua ſub fouea excauata formicis inſidiatur. Inter multas, quas in arena educaui, vnam habui diuerſam ab aliis colore magis albo, maculaque poſtica nigra capitis, literam V referente, quae non tantum erat retrograda, ſed velociter etiam procedens. Eductae ab arena tamen omnes pro-

grediuntur. Habitat in campis arenoſis incultis frequens. Long. a cap. ad ap. alae 16 lin.

692. *M. Catta?* alis hyalinis fuſco-ſubmaculatis, neruis nigro-punctatis. F. Syſt. Ent. 3. 12. 3.

♀ *M. tetragrammicus* Fabr. Suppl. 205. 3. 4.?

Vix *M. formicario* minor. Antennae nigrae. Os flauum. Palpi flaui, apice nigri. Caput et thorax fuſca. Abdomen fuſcum dorſo maculis quinque bilobis flauis. Pedes flaui, pilis nigris hiſpidi. Alae magnae hyalinae neruis nigro-alboque-punctatis, macula oblonga fuſca ad marginem tenuiorem alae anterioris, et vna alteraue verſus apicem. Alae poſticae maculis tantum duabus verſus apicem parallelis, vna ad marginem craſſiorem, altera ad tenuiorem nigris. Captus in campis ſiluaticis arenoſis maritimis. Long. 14 lin.

M. Catta Fabricii alis poſticis immaculatis a Myrmeleonte h. l. deſcripto differt. Inſectum noſtrum e Roſſia oriundum cum deſcriptione cel. Auctoris ſatis bene congruit, thoracis lobo antico collari excepto, non fuſco, ſed luteolineato. A deſcriptione Fabricii *M. tetragrammici* differt abdomine deſcripto modo variegato, nec vnicolore nigro. Hic obiter adiiciamus, *M. tetragrammicum* in Pallas itinere nullum deſcriptum eſſe, quod citatum in Fabricii Supplemento itaque delendum eſt. *M. trigrammicus* enim Pallas Iter. I. App. n. 57. peculiaris, a *Tetragrammico* Fabr. longe diuerſa ſpecies eſt, quam bene nouimus.

In Synonymia Myrmeleontum maxime cauendum eſt, cum magna ſpecierum multitudo exſiſtat, quas aut ignorauerunt, aut cum aliis confuderunt Entomologi. Muſeum Hellwigiano-Hoffmanseggianum

e. g.

e. g. earum plus duodecim, magnam partem europaeas continet, in quas nulla deſcriptio Fabriciana cadit. I.

(p. 16.)

* 693. *M. flauicornis*, alis hyalinis, abdomine fuſco, maculis albis, nigrisque alternis.

M. formicario minor. Antennae fuſcae flauo-annulatae claua lutea. Caput flauum. Palpi flaui. Oculi ſaturate purpurei. Thorax antice flauus, poſtice nigro-variegatus. Abdomen inferne fuſcum, ſupra pallido-maculatum maculis quadratis nigris, et albis alternis. Alae hyalinae neruis nigris ad lentem albo-punctatis. Anticae macula fuſca in medio marginis tenuioris, alteraque in omnibus marginalis verſus apicem alba. Pedes pallide-flaui, punctis minimis nigris adſperſi. Vtrum noua ſpecies, vel ad iam cognitas ſpecimen hoc meum referendum ſit a deſcriptione, et figura eruditi iudicabunt. Tab. IX. f. 2. Alia ſpecimina habeo fere eadem ſtatura et magnitudine, alis immaculatis, corpore fuſco, antennis totis nigris clauatis, quae omnino conuenire videntur cum deſcriptione *M. formicalynx*. De Geer Inſ. 3. 564. 1. t. 17. f. 8.

Capti in campis ſiluaticis arenoſis Piſanis. Long. 10 lin.

M. flauicornis Auctoris in Luſitania a clariſſ. Com. ab Hoffmansegg repertus eſt. Thorax anticus obſolete fuſco-varius; abdominis ſegmenta baſi nigricantia, apice latius albicant.

De ſpecie hic obiter commemorata ob nimis anguſtam deſcriptionem nil determinare audeo. Sunt Luſitanicae, in quas deſignatio cadat, at thorax iis obſolete variegatus eſt. I.

CVIII.

CVIII. ASCALAPHVS.

Palpi ſex ſubaequales filiformes. *Antennae* clauatae.

694. *A. Italicus*, alis anticis hyalinis: macula duplici baſeos flaua, poſticis flauis baſi atris. F. Mant. 250. 2.

Sulz. Hiſt. Inſ. t. 25. f. 4.

Schaeff. Elem. t. 77. Icon. t. 50. f. 1. 2. 3.

♀ *A. italicus* Fabr. Ent. 2. 95. 2.

A. barbarus Panz. Fn. Germ. 3. tab. 23.

Papilio Coccaius Verz. Wien. Schmetterl. ed. Brunouicenſ II. 238. 2.

Libelluloides Schaeff. Monogr. 1763.

A. noſter *Italicus* F. Sp. 400. 2. certe eſt mera varietas *A. barbari*. Comparatus cum iis, quos habui e Germania, differt colore flauo minus nitido, alisque poſticis baſi tantum atris: *Germanus* etiam apice. Inter exoticos tamen aliae occurrunt varietates iam notae. Noſter videtur accedere ad varietatem relatam a Sulzero, et ſimillimus eſt figurae, quam Schaefferus habet in Elem. t. 77. f. 1. 4.

Habitat Florentiae eodem loco et tempore, quo frequens occurrit *M. libelluloides*; alibi numquam inuentus. Long. a cap. vertice ad alarum apicem 13 lin.

Aſcalaphum Italicum ab *A. barbaro* Fabr. ſ. *Myrmeleonte longicorni* Linn. Syſt. Nat. 914. 2. ſpecie differre, nunc nullus dubitat; Linnaei citatum h. l. itaque delendum erat. Citata vtriusque ſpeciei in Verz. Wien. Schmetterl. l. c. enumerata habes, vbi vero in citato e Roſſii Fauna Etruſca nomen *A. barbarus* legendum eſt *A. Italicus*. I.

CIX.

CIX. PANORPA.

Os porrectum corneum palpis filiformibus. *Maxilla* bifida. *Antennae* filiformes.

695. *P. communis*, alis aequalibus, nigro-maculatis. F. Sp. 400. 1.

Linn. Syſt. Nat. 915. 1. Fn. Sv. 1516.
Geoffr. Inſ. 2. 260. t. 14. f. 2.
De Geer Inſ. 2. 2. 733. t. 24. f. 3. 4.
Scop. Ent. Carn. 710.
Reaum. Inſ. t. 4. t. 8. f. 9.
Schaeff. Elem. t. 93. Icon. t. 88. f. 7.
♀ *P. communis* Fabr. Ent. 2. 97. 1.
Panz. Fn. Germ. 50. tab. 10.

Mas cauda chelifera; femina, inermi. Habitat in pratis paludoſis frequens et in hortis vmbroſis. Long. 7½ lin.

(p. 18.)

CX. RAPHIDIA.

Palpi ſubaequales filiformes. *Maxilla* cornea, ſubintegra. *Labium* breue corneum. *Antennae* filiformes.

696. *R. Ophiopſis*, thorace cylindrico, alis immaculatis. F. Sp. 402. 2.

Linn. Syſt. Nat. 916. 1. Fn. Sv. 1517.
De Geer Inſ. 2. 2. 742. t. 25. f. 4.
Geoffr. Inſ. 2. 233. 1. t. 13. f. 3.
Scop. Ent. Carn. 711.
Schaeff. Elem. t. 107. Icon. t. 95. f. 1. 2.
♀ *R. Ophiopſis* Fabr. Ent. 2. 99. 1.
Panz. Fn. Germ. 50. tab. 11.

Femina cauda ſetacea nigra arcuata longitudine dimi-

dimidii abdominis. Mas captus in horto in Populo tremula; femina in ſiluis, in Alno. Long. 6 lin.

Duas ſpecies primo intuitu vix diſcernendas ſub *R. Ophiopſis* titulo confuſas video, altera (*R. Ophiopſis*) dimidio minor, capite leuiore poſtice conice anguſtato, thorace anguſtiore differt ab altera duplo maiore, capite grandiore, occipite lateribus recto poſtice rotundato, ſuperficie eius diſtinctius rugoſo-punctata, thorace breuiore latiore. Haec poſterior videtur *R. notata* Fabr. Mant. 3. 68. 8. Paraſtigma alarum nunc pallidius, nunc fuſcum, vittaque rufa occipitalis in vtraque ſpecie occurrit; femora nigricantia non minus variantia vidi. Panzeri icon *Notatam* noſtram repraeſentare videtur; Geoffroyi tabula eam aperte exhibet; De Geer contra et Roeſel *Ophiopſin* noſtram depinxere, cui Schaefferi Icones citatae adſcribendae ſunt.

Feminae caudam abdomine longiorem obſeruo. I.

Nunc PIEZATORVM Ordo incipit. I.

CXI. CYNIPS.

Palpi inaequales ſubcapitati. *Labium* corneum integrum. *Antennae* filiformes.

697. *C. roſae*, nigra, abdomine ferrugineo poſtice nigro, pedibus ferrugineis. F. Sp. 402. 1.

Linn. Syſt. Nat. 917. 1. Fn. Sv. 1518.
Geoffr. Inſ. 2. 310. 2.
Reaum. Inſ. 3. t. 46. f. 5. 8. t. 47. f. 1-4.
♀ *C. roſae* Fabr. Syſt. Piez. 143. 1. Ent. 2. 100. 2.
Panz. Faun. Germ. 95. tab. 12.
Diplolepis roſae Oliv. Encycl. meth. VI. 280. 1.

Habitat in galla hiſpida Roſae Caninae, Bedeguar offic.

698.

(p. 19.)

698. *C. Quercus folii*, nigra, thorace lineato, pedibus griſeis, femoribus ſubtus nigris. F. Sp. 403. 4.

Linn. Syſt. Nat. 918. 5. Fn. Sv. 1521.
Geoffr. Inſ. 2. 309. 1. t. 15. f. 2.
Reaum. Inſ. 3. t. 39. f. 14. 17.
Roeſ. Inſ. 3. tab. 52. 53. [except. fig. F. G. H.]
♀ *C. Quercus folii* Fabr. Syſt. Piez. 144. 4.
Diplolepis Quercus folii Oliv. Enc. meth. VI. 280. 3.

Habitat in gallis foliorum Quercus paginae inferioris Auellanae magnitudine. Inſectum vtile ob gallam, quae atramento conficiendo inſeruit. Long. 1⅔ lin.

699. *C. viminalis*, flaua, thorace nigro. F. Sp. 404. 10.

Linn. Syſt. Nat. 919. 13. Fn. Sv. 1529.
Roeſ. Inſ. 2. Veſp. t. 10. f. 5. 7.
♀ *C. viminalis* Fabr. Syſt. Piez. 146. 14.

Habitat in foliorum Salicis pagina inferiori.

700. *C. Amerinae*, nigra, pedibus pallidis. F. Sp. 405. 13.

Linn. Syſt. Nat. 919. 16. Fn. Sv. 1530.
♀ *C. Amerinae* Fabr. Syſt. Piez. 147. 17.

Habitat in Salicis Pentandrae ramulis intra gallam inaequalem terminalem.

CXII. TENTHREDO.

Palpi filiformes. *Labium* trifidum.

Tenthredinum genus, a quo iam olim Geoffroy *Crabronem* ſuum, *Cimbecem* hodiernam, ſeparauerat, nunc demum in plura diſtributum eſt genera, a na-

natura confirmata. Genera a celeb. Jurine propoſita cognitione facillima prae caeteris placent, et pauca iis addenda videntur. Eorum tabulam ſuccinctam adiungens, operis noſtri conſilium negligere mihi non videor; maxime autem doleo, me ſyſtematis Hymenopterorum celeb. Jurines tabulas ſolas habere, a cel. Auctore beneuolenter nobiscum communicatas; in explicandis ideo generum characteribus terminos a me in volumine V. mei *Magazin für Inſektenkunde* propoſitos adhibere coactus ſum. Alarum membrana vaſis ſ. neruis tum longitudinalibus quum transuerſis diuiditur in plures *areolas;* earum illam, quae in ala ſuperiore margini antico ſtigmati adiacet, a ſtigmatis baſi inde verſus apicem alae extenſa, ſtigmaque ipſum plerumque includens, *Areola marginalis* mihi audit. Areolae huic marginali proximae interiores, quae neruum longitudinalem cum illa communem habent, *Areolae intermediae* ibidem vocantur, ad diſtinguenda genera prae reliquis idoneae. His paucis praemiſſis ſequens generum index ſatis perſpicuus eſt.

1. Antennae capitatae: *Cimbex* Oliv. Fabric. Latreille (excluſo tamen *Crypto ſegmentario* Panzeri, qui Hylotomis annumerandus eſt) *Tenthredo* Jurine.

2. Antennae triarticulatae: articulis a tertio inde ita compactis, vt vnum efficiant praelongum, feminis ſubclauatum glabrum, maribus filiformem piloſum, aut ſimplicem, aut duplicatum (in *furcata*) *Hylotoma* Latreille. *Hylotomae* fam. ſecunda Fabr. *Cryptus* Jurine.

3. Antennae plus minusue filiformes, nouemarticulatae. Areola marginalis vnica, areolae intermediae tres. *Nematus* Jurine. *Tenthredinis* ſpecies Latr. Fabr. Huc pertinent: *Tenthr. ſeptentrionalis*

nalis Linn. Fabr., *T. Salicis* Linn., *Nematus Intercus* Panz. et aliae.

4. Antennae vt praecedentibus. Areola marginalis duplex; (vnicae nondum deſcriptae ſpeciei Luſitanicae triplex) Areolae intermediae tres. *Tenthredo* nob. *Tenthredinis* ſpecies Fabricii plures, eiusque *Hylotomae* familiae tertiae, *Tenthredinis* ſpecies Latr. *Allantus* Jurine.

5. Antennae, quae praecedentibus. Areola marginalis duplex; Areolae intermediae duae. *Tenthredinis* ſpecies Fabr. Latr. e. g. *T. Abietis* Fabr., *T. opaca* Fabr., *T. nigra* Linn. Fabr., *T. Gonagra* Fabr., *T. triſtis* Fabr., *T. tibialis* Panz. cuius areolae intermediae aliter formatae ſunt, ac rereliquis. — *Dolerus* Jurine.

6. Antennae nouemarticulatae, nunc ramiferae, nunc ſubſerratae. Areola marginalis vnica; Areolae intermediae duae. *Pteroni* ſpec. Jurine *Lophyri* ſpecies Latreille, *Cladius* nob. Species nobis notae ſunt: *T. pectinicornis* Roſſi ſ. *difformis* Panz. et forſan *T. nigrita* Fabr.

7. Antennae multiarticulatae, vno verſu ſerratae. Areola marginalis duplex, areolae intermediae tres. *Tarpa* Fabr. *Megalodontes* Latreille.

8. Antennae multiarticulatae, maris bipectinatae, feminae vtrinque ſerratae. Areola marginalis vnica; areolae intermediae duae. *Pteronus* Jurine, *Lophyrus* Latreille; *Hylotomae* familia prima Fabric.

9. Antennae multiarticulatae ſetaceae. *Lyda* Fabr. *Cephalcia* Jurine. *Pamphilius* Latreille.

In his generibus, vt in omnibus fere Piezatorum ſexus diſcrimen neglectum ſpecierum numerum apud Auctores admodum auxit, differentiasque

que ſpecificas mancas reddidit. In Tenthredinum familia ex ſegmento anali deorſum ſpectato marem a femina diſtinguere facile diſcas, at experientia ſola ductus tutus ibis in aſſociandis ſexubus. Plura exempla afferam, vbi feminam a mare diſtinctam ſpeciem habuere; at in multis ſpeciebus de ſexu nondum certus ſum.

In multis deſcriptionibus Tenthredinum iisque affinium ſegmentum poſticum thoracis, quod ſcutello ſubiacet, quodque cum cel. Kirby *metathoracem* vocamus, abdominis pars perperam exhibetur, tuberculaque duo in eodem vtrinque prominula, quae omnibus Tenthredinibus Linnaei communia ſunt, ab eodemque immortali Viro iam commemorata, nonnullis ſpeciebus peculiaria et vt ita dicam, earum notas eſſentiales habuerunt Auctores e. g. cel. Panzer *Tenthredinem* ſ. *Nematum miliarem* ex iis corpuſculis nominauit. Quae tubercula, a Linnéo *grana* vocata, nunc celeberrimo *Klug*, Monographiae Siricum affiniumque nitidiſſimae auctori, *cenchri* audiunt.

Notentur ſpinulae tibiarum poſticarum: pluribus ſpeciebus ſpinulae tantum duae terminales ſunt, *Cimbecibus* et *Tenthredinibus* forte omnibus, *Hylotomae*, certe femineae, ſpinulas terminales ſolas habent, in *Tarpa* ſpinula ſolitaria in interiore tibiae poſticae parte infra medium poſita eſt; in *Lydis* ibidem duas video. I.

* *Antennis clauatis.* (CIMBEX Fabr.)

701. *T. femorata,* antennis clauatis luteis, corpore atro, femoribus poſticis maximis. F. Sp. 405. 1.

Linn. Syſt. Nat. 920. Fn. Sv. 1533.
De Geer Inſ. 2. 2. 944. 2. t. 34. f. 3. 4.
Geoffr. Inſ. 2. 263. t. 14. f. 4.

Schaeff.

Schaeff. Icon. t. 104. f. 1. 2.
♀ *Cimbex femorata* Fabr. Syſt. Piez. 15. 1.
Olivier Enc. meth. V. 766. 1.
Tenthr. lutea mas Chriſt. Hymen. 426. tab. 48. fig. 2.

Femora poſtica maxima. Antennarum claua, tarſi, lunulaque dorſalis flaua. Larua flauo-viridis linea dorſali coerulea, quae tacta e punctis corporis nigris humorem limpidiſſimum iactat. Albinus Inſ. t. 59. habet laruam in Salice, ego quidem inueni in Salice menſ. Iun. compoſitoque folliculo fuluo gummoſo, anno poſteriore ſe declarauit.

Habitat in Salice et Alno non frequens. Long. 10, lat. 4 lin.

Hanc Cimbecem feminam ſequentis eſſe, experientia abunde euictum eſt. I.

(p. 20.)

702. *T. lutea*, antennis clauatis, abdominis ſegmentis plerisque flauis. F. Sp. 406. 3.
Linn. Syſt. Nat. 921. 3. Fn. Sv. 1534.
De Geer Inſ. 2. 2. 934. 1. t. 33. f. 8. 9. 10. 16.
Roeſ. Inſ. 2. Veſp. t. 13.
Schaeff. Icon. t. 103. f. 2. 3.
♀ *Cimbex femorata femina* Muſ. Hellw. Hoffm.
Cimbex lutea Fabr. Syſt. Piez. 16. 3.
Olivier Enc. meth. V. 767. 3.
Tenthr. lutea femina Chriſt. Hymen. 425. tab. 48. fig. 1.

Larua glabra, flauo-viridis pedibus 22 linea dorſali nigra, vtrinque flaua. Inuenta in Alno menſ. Sept. Habitat in Salice, Alno. Long. 10, lat. 4 lin.

703. *T. ſericea*, antennis clauatis luteis, thorace atro, abdomine aeneo. F. Sp. 407. 9.

Fig. T. *Sericeae* Schaeff. Elem. t. 51. a Linnaeo et Fabricio citata, mala.

♀ *Cimbex ſericea* Fabr. Syſt. Piez. 18. 10.

C. ſericea Olivier Enc. meth. V. 771. 11. Mas.

C. nitens. Ibid. 12. Femina.

Tenthr. ſericea Chriſt. Hymen. 428. tab. 49. fig. 2.

Antennae ſaturate flauae articulis quinque non computata baſi, quorum tres clauam componunt. Palpi quatuor lutei. Caput nigrum pubeſcens, oculorum orbita, ſeu margine poſtico ſubaeneo. Thorax ater, ſubaeneus, pubeſcens, immaculatus. Abdomen inferne atro - violaceum ſuperne tribus primis ſegmentis, vltimoque totis aeneis ſplendidis, reliqua lateribus tantum aeneis, ſpatio oblongo atro relicto, et per quatuor ſegmenta poſtica extenſo. Pedes lutei. Femora nigra apicibus luteis. Alae margine craſſiori, neruisque flauis ad apicem macula fuſca coſtali. Mas, (Tab. VI. fig. 14.) et iuxta Linnaeum *T. nitens* viridis, glabra, nitida, antennis clauatis, pedibusque luteis, abdomine ſubtus coeruleſcente. Linn. Syſt. Nat. 922. 10. "In abdominis dorſo macula quadrilatera fuſca per 4. 5. 6. 7. ſegmentum extenſa. Pod. M. G. 102. 1."

β. *T. ſericea* Linn. Syſt. Nat. 921. 8. femina. (Tab. VI. fig. 15.) Differt a maſculo magnitudine, capite aeneo nitidiori, et abdomine ſupra toto aeneo ſplendido, absque ſpatio atro medio. Color aeneus in iunioribus aureus eſt.

A diuerſitate ſexus diſtinctio nominis, ſed haec a nonnullis confuſa.

Habi-

Habitat in Anthemi et in vmbellis Dauci Carotae frequens. Long. 4½, 5, lat. 1½, 2 lin.

De Geerii *T. nitentem* II. 2. 1016. 26., quam omnes Auctores hic allegant, ad Hylotomae ſpeciem ſpectare, patet. *Hylotomam vſtulatam* Fabr. in ea videmus. Cel. Roſſi de eo citato ipſe dubitauit. I.

(v. 21.)

* *T. craſſicornis*, antennis clauatis, capite thoraceque nigris, corpore flauo, abdominis ſegmentis in medio late nigro marginatis.

♀ *Cimbex laeta* Fabr. Syſt. Piez. 18. 11.

Tenthredo laeta Jurine Hymen. tab. 6.

Cimbex ſituatica Oliv. Enc. meth. V. 772. 14.

Antennae breuiſſimae, clauatae nigrae articulis quatuor computata baſi, et claua dimidiam partem occupante. Caput et thorax nigra. Corpus ferrugineo-flauum, ſex primis abdominis ſegmentis in medio nigro-marginatis. Scutellum nigrum. Femora nigra, faſciata. Anus et pedes rufi, tibiarum apice nigro.

Capta in rubo ſiluarum. Long. 3, lat. 1⅓ lin.

Cimb. ſericea paullo minor eſt. Alarum coſta ad cubitum vsque luteſcens. Abdominis primum ſegmentum nigrum eſt lateribus extimis tantum luteis; ſecundum nigrum, lateribus latius luteis; quinque ſequentia lutea ſunt, baſi in medio transuerſim anguſte nigra, vt quinque faſciae tenues abbreuiatae conſtituantur, quarum poſteriores ad latera magis magisque extenduntur. In ventre ani regio et puncta aliquot ſubmarginalia nigra ſunt. Pedum coxae, femorum baſis tibiarumque poſteriorum apex nigra ſunt. Color abdominis in noſtra, quam celeb. Auctori debemus, fere aurantiacus eſt. I.

* *An-*

(p. 22.)

* *Antennis exarticulatis extrorſum craſſioribus.* (Hylotoma Latr. *Hylotomae* ſam. ſecunda. Fabr.)

705. *T. vſtulata*, antennis clauato-filiformibus, exarticulatis, corpore nigro, abdomine coerulefcente, tibiis pallidis. F. Sp. 407. 11.

Linn. Syſt. Nat. 922. 13. Fn. Sv. 1542.

Sulz. Inſ. t. 18. f. 3.

♀ *Hylotoma vſtulata* Fabr. S. Piez. 23. 9.

Tenthredo nitens De Geer Inſ. II. 2. 275. 26. tab. 38. fig. 32-34.

Antenae exarticulatae vti in *T. roſae.* Palpi antici longi pallidi, vti etiam tibiae. Alae ſubferrugineae macula magna coſtali fuſca. Larua viridis lineis duabus albis, capite teſtaceo faſcia obſcura.

Habitat in ſiluis, in Roſa Canina. Long. 4 lin.

De Geerii *Tenthr. violacea*, quam Auctor, Fabricium ſequutus, allegat, ob pedes nigros, quos *vſtulatae* numquam vidi, diſtinguenda eſt. *T. nitens* eiusdem Auctoris, ad *Cimbecem nitentem* hucusque male relata, *vſtulatae* exacte correſpondet.

Maris varietatem habemus ſegmentis dorſalibus margine albidis, quae forte *Cryptum ſegmentarium* Panz. Fn. Germ. 88. tab. 17. ſola macula fuſca coſtali ad apicem alae diſtinctum, cum *vſtulata* coniungit. Illius *ſegmentarii* feminas ſolas noui. Fabricius ſub *Hylotoma coſtali* Piez. 24. 15. eundem forſan deſcripſit; pro "ſtrigis nonnullis albis in ano" in "abdomine" legendum eſſe videtur in eius deſcriptione. I.

706. *T. enodis*, antennis clauato-filiformibus, exarticulatis corpore atro coeruleſcente. F. Sp. 408. 12.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 922. 11.
De Geer Inſ. 2. 2. 1025. 29. t. 40. f. 9. 10.
♀ *Hylotoma enodis* Fabr. S. Piez. 23. 10.
Tenthredo enodis Panz. Fn. Germ. 49. tab. 13.
Tenthr. vſtulata ibid. tab. 12.
Tenthr. enodis Chriſt. Hymen. 430. tab. 49. fig. 3.

Tota atro-coeruleſcens. Antennae triarticulatae ad baſin, attamen claua integra triquetra. Larua viridis nigro-punctata, linea laterali flaua, cauda acuta, pedibus 18. Hab. in Salice non rara. Animal tardum, hebes. Long. $4\frac{2}{3}$ lin.

Mas femina ſua dimidio minor, caeterum, antennis et ano exceptis, ei ſimillimus. *Tenthr. ciliatam* Linnaei, quam Fabricius marem *Enodis* putat, ob corpus atrum et tibias poſticas albas diſtinctam Hylotomae ſpeciem habemus. I.

(p. 23.)

*** *Antennis pectinatis.* (TARPA Fabr. et CLADIVS nob.)

707. *T. Cephalotes*, antennis pectinatis atra, abdomine cingulis quatuor flauis. F. Sp. 408. 15.
♀ *Tarpa Cephalotes* Fabr. S. Piez. 19. 1.
Variet. ſegmento dorſi ſecundo et tertio vtrinque macula transuerſa flaua.
Tenthr. Cephalotes Mas, Panz. Fn. Germ. 62. tab. 7.

Antennae breues pectinatae, teſtaceae. Caput grande atrum punctis tribus inter oculos flauis, lineaque poſtica flaua cinctum. Maxillae exſertae, acutae, arcuatae, quibus inquieta aſſidue mordet. Lingua trifida. Thorax ater ſtriga antica interrupta, puncto ſub alis, et in dorſo duobus flauis. Abdomen atrum, glabrum lunula baſeos flaua, cingulisque quinque flauis, anteriore ma-

maiore. Pedes flaui. Alae ferrugineae. Mas. Deſcriptio Fabricii forte conuenit feminae. Capta in Ciſto Helianthemo. Long. 5, lat. 1¼ lin.

Exceptis illis ſegmentorum ſecundi et tertii maculis lateralibus nil inter *Cephalotem* Panzeri et eam Fabricii intereſſe videtur, vtraque diligenter comparata. At eam, quam Panzerus l. c. tab. 8. Feminam putat, diuerſam habebo ſpeciem; donec experientia, qua cel. Panzerus h. l. deſtitutus eſt, ſexum edoceat. I.

* 708. *T. pectinicornis*, nigra, antennis vno verſu pectinatis, tibiis, tarſisque flauis.

Geoffr. Inſ. 2. 286. 33.

♀ *Cladius pectinicornis* Muſ. Hellw. Hoffmanseg.

Tenthredo difformis Panz. Fn. Germ. 62. tab. 10.

Lophyrus difformis Latr. H. N. Inſ. XIII. 136. 2.

Noſtra ſpecimina conueniunt cum deſcriptione Geoff. l. c. at nullo modo cum figuris *T. Pini* a De Geer et Schaeffero exhibitis, et a Cl. Fabricio citatis. Sp. 409. 17. Femina in hortis frequens. Long. 2½ lin.

Hanc ſpeciem, quam cel. Jurine *Pteronis* ſuis ſine dubio aſſociauerit, in ditione Brunouicenſi captam in muſeo aſſeruamus. Antennarum articulus ſextus a baſi, vel quartus ab apice inde numeratus, appendiculo paruo inſtructus eſt in ſpecimine noſtro et in illis, quae Geoffroyus deſcripſit. Cel. Panzeri inſectum, omnibus noſtro ſimillimum, illum articulum ſimplicem gerit. Citatum e Geoffroy a Fabricio aliisque *Pterono Pini* Panz. *Hylotomae Pini* Fabr. perperam adſcriptum eſt. I.

**** *Antennis filiformibus 7-gnodiis.* (Tenthredo et Hylotomae fam. tertia Fabr. Allantvs, Nematvs et Dolervs Jurine.)

709.

709. *T. naſſata*, antennis 7nodiis lutea, ſcutello punctoque alarum albis. F. Sp. 310. 23.
Linn. Syſt. Nat. 926. 38.
♀ *T. naſſata* Fabr. S. Piez. 41. 59.
Corpus ferrugineo-luteum. Os flaueſcens, oculi, et aculeus nigri. Scutellum album, et ſub ſcutello macula nigra punctis quatuor albis. Alae ſtigmate marginali albo, adiacente maiori nigro. Pedes lutei. In meis ſpeciminibus palpi etiam flaueſcentes, et femora poſtica nigra. Hab. in ſiluis. Long. 5 lin.

Linnaeus feminam deſcripſit. *Allantus Tiliae* Panzer Fn. Germ. 91. tab. 13. varietas huius ſpeciei admodum variabilis, videtur. I.

(p. 24)

710. *T. Salicis*, antennis 7nodiis corpore variegato. F. Sp. 409. 19.
Reaum. Inſ. 5. t. 11. f. 10.
Caput antennaeque nigrae ore flauo. Thorax antice fuluus, poſtice niger. Alae hyalinae flaueſcentes ſtigmate atro. Corpus croceum. Pedes crocei, tarſorum apices nigri. Hab. in hortis. Long. 2½ lin.

Species mihi dubia. Auctor noſter Linnaeum, De Geerium II. 2. 991. 14. Geoffr. Inſ. II. 272. 3. allegat. Linnaei et De Geerii *Tenthrm. Salicis*, quae *Nemati* ſpecies eſt, non habuit; Geoffroyi inſectum pedibus nigris ſatis differt. Fabriciana *T. Salicis* eadem forſan cum Linnaeana eſt. Reaumurii inſectum mihi ignotum eſt. Anne Roſſii *T. Salicis* eadem ſit ac *Hylotoma Roſae* Fabr. S. Piez. 25. 16.? Nil, niſi antennae exarticulatae, nec ſeptemnodiae huius Hylotomae obſtare videntur, easque ab Auctore noſtro non ſemper obſeruatas

eſſe, *T. caeruleſcens* ſub Nr. 714. deſcripta, exemplum eſt. I.

711. *T. flauicornis*, antennis 7nodiis flaua, capite caudaque nigris. F. Sp. 410. 20.
Schaeff. Icon. t. 7. f. 12.
♀ *T. flauicornis* Fabr. S. Piez. 31. 9.
T. poecilechroa Schrank. Enum. 654.
T. flaua Scop. Ent. Carn. 731.
Varietas: T. luteicornis Fabr. S. Piez. 31. 10.
Schaeff. Icon. tab. 7. fig. 6.

Optimae deſcriptioni Fabricianae, quae exacte congruit cum noſtris, addendum os flauum cum puncto flauo ad baſin femorum poſticorum. Magnitudo praecedentis huic minime competit. Habitat in hortis, omnium apud nos, *T. roſae* excepta, frequentiſſima. Long. 6 lin.

Thorax rarius totus niger, ſed in dorſo nunc rufo-varius, nunc rufus nigro-maculatus, nunc rufus eſt. Abdominis ſegmentum baſale in eis, quibus femora nigra ſunt, macula magna transuerſa nigra notatum. Tria aut quatuor ſegmenta analia nigra ſunt, lateribus tamen ſaepius fuluis. Raro abdomen totum nigricat. Ad baſin coxae poſticae macula ſulphurea. Pedes nunc lutei, nunc femorum baſi nigri, femoribus poſticis totis nigricantibus. Occiput vtrinque ſaepius rufeſcit. Alarum coſta ſemper rutila, earum apex conſtanter fuſceſcens eſt. I.

(p. 25.)

712. *T. viridis*, antennis 7nodiis corpore viridi abdomine ſupra fuſco. F. Sp. 410. 21.
Linn. Syſt. Nat. 924. 27. Fn. Sv. 1554.
Geoffr. Inſ. 2. 271. 1.
Sulz. Hiſt. Inſ. t. 18. f. 112.

♀ *T.*

♀ *T. viridis* variet. lutea. Roſſi Mant. 239.
T. viridis Fabr. S. Piez. 40. 53.
Chriſt. Hymen 435. tab. 50. fig. 3.
Varietas: T. interrupta Fabr. S. Piez. 50. 54.
T. meſomela Scop. Ent. Carn. 723.

Abdominis dorſum linea nigra longitudinali. Colore maxime variat; nunc magis viridis, nunc magis fuſca. Hab. in floribus, rara. Long. 4⅔, lat. 1½ lin.

Antennas ſubtus conſtanter virides, alarumque coſtam viridem obſeruo; vertex ſolus niger viridivarius eſt, reliquum caput viride. Abdominis dorſum ſaepius macularum quadratarum nigrarum ſerie notatum eſt, quibus interdum continuatis, varietas *T. interrupta* Fabr. efficitur. Caue ne cum his varietatibus confundas ſpeciem admodum ſimilem, cuius marem Linnaeus ſub *T. meſomela* Syſt. Nat. 2. 924. 22. Fn. Sv. 1549. Villers Ent. 3. 93. 32. feminam De Villers ſub *T. annulari* Ent. 3. 117. 110. deſcripſere, quamque Fabricius perperam *T. vagae* ſuae adſcripſit. Caput ei nigrum ore lateribusque ſolis viride, antennis nigris, coſta alarum nigricante, thoracis diſco nigro vnicolore, tarſis ſupra fuſcis differt. I.

713. *T. ouata*, antennis 7nodiis corpore atro, thorace rubro. F. Sp. 411. 24.
Linn. Syſt. Nat. 924. 28. Fn. Sv. 1553.
De Geer Inſ. 2. 2. 95. 5. t. 34. f. 10.
♀ *Tenthr. ouata* Muſ. Hellw. Hoffm.
Hylotoma ouata Fabr. S. Piez. 27. 25.
Geoffr. Inſ. 2. 287. 34.
T. vernalis Villers Ent. 3. 115. 102.
T. ouata ibid. 95. 38.

Pedes antici pallidiores.

Larua

Larua virideſcens puluere albido farinaceo tecta, quam *Ouem* Bergmann appellat Opuſc. de Nat. Tenthr. tom. 5. Hab. in Alno. Long. 2⅔ lin.

Caput ſcabrum; tibiae omnes baſi albidae. Quotquot viderim, feminae erant. I.

714. *T. coeruleſcens*, antennis 7nodiis violacea, abdomine flauo, alis macula fuſca. F. Sp. 411. 26.

♀ *Hylotoma caeruleſcens* Fabr. S. Piez. 24. 13.

T. bicolor Schrank. Enum. 652.

Geoffr. Inſ. 2. 273. 5.

T. ochroptera Villers Ent. 3. 113. 91. (qui eandem ſpeciem ſub *T. caeruleſcentis* et *bicoloris* nomine, ſecundum morem ſuum ſolitum, exhibet. Talia ſynonyma melius ſupprimamus.)

Deſcribit eam Fabricius. Antennae breues nigrae. Pedes nigri, tibiis, femorumque poſticorum baſi ferrugineis (in noſtris) violaceis. Affinis *T. roſae*. Hab. in ſiluis rara. Long. 3½ lin.

Antennis Hylotomae exarticulatis eſſe *T. caeruleſcentem*, vix notatu dignum. Femora poſtica in noſtris aut flaua ſunt cyaneo terminata, aut cyanea tota, tibiae pallidae. I.

(*p. 26.*)

* 715. *T. vidua*, antennis 7nodiis atra, abdomine faſciis duabus luteis, poſtica late interrupta.

Tota atro - coerulea, abdomine ſolo in medio flauo - faſciato faſciis duabus; quarum anterior integra, poſterior tantum latera cingit. Pedes nigri tibiis poſticis flauis. Alae atro - coeruleae. Mas faſcia tantum vnica. Tab. III. f. 6.

Habi-

Habitat ruri circa ſepes. Long. 5, lat. 1¼ lin.

Feminae huius ſpecimen habemus, e Gallia meridionali allatum, cui ſegmentum tertium ſolum flauum eſt, quod itaque Maris nota ſpecifica non eſt. Tibiae poſticae apice nigricant. Caeterum *T. vidua* ſtatura *T. zonatae* Panz. ſimilis, antennisque breuibus eſt. I.

716. *T. ſeptentrionalis*, antennis 7nodiis, pedibus poſticis compreſſis dilatatis. F. Sp. 414. 42.
Linn. Syſt. Nat. 926. 36. Fn. Sv. 1558.
De Geer Inſ. 2. 2. 995. 16. t. 37. f. 26.
Schaeff. Icon. t. 167. f. 5. 6.
♀ *Nematus ſeptentrionalis* Muſ. Hellw. Hoffm.
T ſeptentrionalis Fabr. S. Piez. 42. 63.
Villers Ent 3. 99. 46. tab. 7. fig. 20.
Schrank. Enum. 672.

Abdomen rufum baſi, apiceque nigrum. Variat femoribus rufis. Facile dignoſcitur. Larua gregaria, viridis nigro-maculata, apicibus flauis. Habitat in Alno. Long. 4½ lin.

Variat pedibus anterioribus, et, quod icon Panzeri monſtrat, abdomine poſtico toto rufo, denique magnitudine duplo maiori. I.

* 717. *T. Viennenſis*, antennis 7nodiis nigra, abdomine cingulis quinque flauis, antennis ſubclauatis fuluis prope baſin. Schrank. Enum. Inſ. 666.
♀ *T. Viennenſis* Panz. Fn. Germ. 65. 5.
Geoffr. Inſ. 2. 276. 11. tab. 14. fig. 5. *Femina.*
Geoffr. l. c. 12. *Mas.*
T. Viennenſis Villers Ent. 3. 103. 58. *Femina.*
T. virgata ibid. 114. 96. *Mas.*

Deſcriptio a Schrankio data h. l. repetita. Hab. in hortis, ad ſepes. Long. 4 lin.

Ob

Ob ſimilitudinem cum *T. marginella* haec ſpecies a Fabricio omiſſa videtur. Citatum Geoffroy n. 12. ab eodem male *T. tricinctae* S. Piez. 30. 5., a Schrankio perperam *T. ruſticae* adſcriptum eſt. I.

(p. 27.)

718. *T. Abietis*, antennis 7nodiis corpore nigro, abdominis ſegmentis quatuor ferrugineis. F. Sp. 411. 28.

Linn. Syſt. Nat. 923. 18. Fn. Sv. 1546.
♀ *Dolerus Abietis* Muſ. Hellw. Hoffm.
T. Abietis Fabr. S. Piez. 115. 41.

Iuxta cl. Schrankium *T. ſolitariae Scopolinae* varietas. Hab. in Pino, Abiete. Long. 5 lin.

T. ſolitaria Schrank. Enum. 658. huc non ſpectat. Geoffr. Inſ. II. 285. 29. Friſch. Inſ. 2. t. 1. f. 21-24. quos cel. Auctor allegat, omiſi, prior pedes rufos tacet, quibus *Dolerus Abietis* gaudet, et aliam ſane ſpeciem ex illis multis abdomine medio rufo deſcripſit; Friſch. l. c. forte *T. flauicornis* varietatem exhibuit. I.

719. *T. ruſtica*, antennis 7nodiis nigra, abdomine cingulis tribus flauis, poſticis duobus interruptis. F. Sp. 413. 35.

Linn. Syſt. Nat. 923. 16. Fn. Sv. 1543.
De Geer Inſ. 2. 276. 11. t. 14. f. 5.
♀ *Femina: T. ruſtica* Fabr. S. Piez. 30. 6.
T. notata Panz. Fn. Germ. 64. tab. 10.
Mas: T. carbonaria Fabr. S. Piez. 30. 7.
Panz. Fn. Germ. 71. tab. 10.

Larua cinerea maculis dorſalibus triangularibus, brunneis.

Tenthredines quae diſtinguuntur cingulis abdominalibus luteis, adeo variant, vt manca ſit vera cogni-

cognitio ſpecierum, quae a laruis in hoc praeſertim genere non deſumitur. Hab. in Caprifolio, frequens in hortis. Long. 5 lin.

Marem ſeu *T. carbonariam* Fabr. cum femina copula iunctam cepimus. *T. carbonaria* Linnaei vero ab eo differt. I.

720. *T. cincta*, antennis 7nodiis nigra, abdominis cingulo tibiisque flauis. F. Sp. 412. 34.

β. *Tenthredo liuida*, antennis 7nodiis corpore atro, abdominis cingulo albo. Linn. Syſt. Nat. 925. 32. Fn. Sv. 1556.

Femora nigra baſi alba. Tibiae ruſae, baſi albae. Habitat in hortis. Long. 4 lin.

E menſura data adiectaque nota colligimus, Auctorem veram *T. cinctam* Linnaei (quae lapſu ſcribentis *liuidae* nomen gerit in Syſt. Nat. l. c.) habuiſſe, caute diſtinguendam a *T. cincta* Fabr. quam inferius ſub *T. temulae* nomine n. 725. deſignat Roſſi. *T. bicincta* Linn. h. l. citata, ad eam transferenda eſt. I.

(p. 28.)

721. *T. germanica*, antennis 7nodiis corpore nigro, thorace antice, abdomineque rufis. F. Sp. 412. 29.

♀ *Dolerus germanicus*.
T. germanica Fabr. S. Piez. 33. 18.
Panz. Fn. Germ. 52. tab. 4.
Sturm. Inſekten-Verzeichn. 54. 25. tab. 3. fig. 1.

Thorax antice et totum abdomen rufa. Alae hyalinae neruoſae, coſta punctoque magno nigris. Craſſiuſcula. Hab. in ſiluis. Long. 5 lin.

In

In Panzeri inſecto abdomen baſi nigrum, in eodem et Sturmiano alae fuliginoſae, Simillimum habeo pedibus rufis, baſi, tibiarum apice tarſisque nigris ; pedibus totis nigris numquam mihi occurrit. Quomodo *T. pedeſtris* Panz. Fn. Germ. 82. tab. 11. differt? I.

722. *T. ſcrophulariae*, antennis 7nodiis, abdomine cingulis quinque flauis primo remotiore. F. Sp. 409. 18.
Linn. Syſt. Nat. 923. 17. Fn. Sv. 1545.
Geoffr. Inſ. 2. 377. 13.
Reaum. Inſ. 5. t. 13. f. 22. 33.
♀ *T. ſcrophulariae* Fabr. S. Piez. 28. 1.
Specimen habeo, quod tantum differre videtur a *T. ſcrophulariae* magnitudine minori, et fronte punctis duobus luteis notata. Hab. in Scrophularia frequens. Long. 6 lin.
Mas feminae ſimillimus abdomine paullo anguſtiore differt. I.

728. *T. punctum album*, antennis 7nodiis corpore nigro, abdominis lateribus albis, femoribus poſticis rubris. F. Sp. 415. 44.
Linn. Syſt. Nat. 924. 23.
♀ *T. punctum* Fabr. S. Piez. 36. 33.
Affinis *T. rufipedi.* Femora poſtica rubra; tibiae baſi nigrae. Hab. ruri. Long. 4 lin.
Feminas ſolas noui. I.

(*p. 29.*)

724. *T. 12punctata*, antennis 7nodiis corpore atro, punctis duodecim albis. F. Sp. 415. 43.
Linn. Syſt. Nat. 926. 39. Fn. Sv. 1559.
♀ *T. 12punctata* Fabr. S. Piez. 36. 32.

Caput

Caput nigrum ore albo, macula alba vtrinque ante alas in thorace. Scutellum album. Tria ſegmenta abdominis macula vtrinque alba. Vltimum abdominis ſegmentum apice album. Femora ſecundi paris macula alba. Tibiae albae, tarſi nigri. Femina. Interdum maculae laterales abdominis vel quatuor vel quinque ſunt. Hab. in pratis. Long. 5 lin.

Interdum maculae laterales abdominis duae tantum adſunt vtrinque. Marem nondum vidi. I.

* 725. *T. temula*, nigra, ore, punctis duobus ſub ſcutello, abdominis cingulo tertio, tibiisque flauis. Scop. Ent. Carn. 725.

♀ Femina: *T. bicincta* Linn. Syſt. Nat. 2. 925. 31.
Schrank. Enum. 664.
Chriſt. Hymen. 436. tab. 50. fig. 4.
T. cincta Fabr. S. Piez. 29. 3.
Panz. Fn. Germ. 64. tab. 8.
Mas: *T. ſemicincta* Schrank. Enum. 665.
Panz. Fn. Germ. 52. tab. 13.

Habitat in hortis. Long. 5½ lin.

Scopolii deſcriptio optime in *Bicinctam* Linn., *Cinctam* Fabr. feminam quadrat, addito tamen apice abdominis flauicante. Linnaei *T. cincta (liuida)* quam eandem putant, alia eſt, ſupra ſub eodem nomine nr. 720. propoſita. De Villers *T. bicinctae* Ent. 3. 97. 41. marem totum nigrum erronee tribuit. Illum *T. ruſticam* pro *bicincta* habuiſſe, eo facilius inducor, vt credam, cum veram *Bicinctam* ab ipſo prope Lugdunum captam, ſub *ſemicinctae* nomine deſcripſerit. Caeterum cl. Fabricius *T. ſemicinctam* Panzeri *T. vagae* ſuae, quae Linnaei *T. meſomela* neutiquam eſt, perperam adſcripſit. I.

726. *T. Roſae*, antennis 7nodiis nigra, abdomine flauo, alarum anteriorum coſta nigra. F. Sp. 413. 39.

T. Roſae Linn. Syſt. Nat. 925. 30. Fn. Sv. 1555.
Geoffr. Inſ. 2. 272. 4. [var. ſic dicta femina].
De Geer Inſ. 2. 2. t. 39. f. 27.
Scop. Ent. Carn. 722.
Reaum. 5. t. 14. f. 10. 12.
Roeſ. Inſ. 2. Veſp. t. 2.
Schaeff. Icon. t. 55. f. 10. 11.
♀ *T. Roſae* Muſ. Hellw. Hoffmansegg.
Hylotoma annulata Fabr. S. Piez. 26. 23.
Varietas thoracis dorſo rufo maculis duabus nigris.
Hylotoma ſpinarum Fabr. S. Piez. 26. 21.
Tenthr. Colibri Chriſt. Hym. 454. tab. 50. fig. 1.

Variat colore thoracis interdum toto nigro, interdum flauo-maculato. Hab. in Roſis. Long. 3⅘ lin.

Excepto citato *T. Roſae* Fabr. veram *Hylotomam*, nec Tenthredinem deſignante reliqua omnia ab Auctore allata ad hanc ſpeciem pertinent, quam Geoffroy primus cum illa Hylotoma, quam erronee marem habuit, confudit, quem cel. Fabricius aliique ſecuti ſunt. Apud *Hylotomam Roſae* S. Piez. 25. 16. (a Roſſio noſtro forte ſub *T. Salicis* Nro. 710. deſignata) citata Linné, Geoffroy, Roeſel, Schaeffer ideo delenda ſunt, ad *H. annulatam* Fabr. ſ. *T. Roſae* noſtram transferenda. Mas *Hylotomae Roſae* antennis exarticulatis pubeſcentibus eſt, mas *Tenthr. Roſae* L. antennas nouemarticulatas cum femina ſua communes habet, ſola ſtatura minore et abdomine anguſtiore ab ea diuerſus. I.

(p. 30.)

727. *T. Ceraſi*, antennis 7nodiis, corpore nigro, ſcutello pedibusque flauis. F. Sp. 410. 22.

Scu-

Linn. Syſt. Nat. 923. 20. Fn. Sv. 1548.
Geoff. Inſ. 2. 286.
De Geer Inſ. 2. 2. tab. 38. fig. 2. 23.
♀ *T. Ceraſi* Fabr. S. Piez. 41. 57.
Scutellum et pedes tantum flaui. Larua gelatinoſa nigra. Hab. in Pruno Ceraſo. Long. 2⅔ lin.

728. *T. Morio*, antennis 7nodiis atra, pedibus pallidis. F. Sp. 414. 41.
♀ *T. Morio* Fabr. S. Piez. 36. 31.
Satura breuis. Corpus totum atrum, immaculatum. Pedes omnes albi, poſtici longiuſculi. Capta in Viburno Opulo. Long. 2½ lin.

Pedes in meis nigroannulati; in maſculo ſpecimine nigricantes, antici magis fuſci ſunt. I.

729. *T. atra*, antennis 7nodiis corpore atro, pedibus rubris. F. Sp. 413. 33.
Linn. Syſt. Nat. 924. 26. Fn. Sv. 1552.
Geoffr. Inſ. 2. 283. 25.
Scop. Ent. Carn. 729.
♀ *T. atra* Fabr. S. Piez. 34. 26.
Antennae abdominis longitudine. Os flauum. Pedes ferrugineo-rufi. Hab. ruri ad ſepes. Long. 5 lin.

Omnes Auctores feminam ſolam deſignauerunt. Mas, quondam cum femina ſua in coitu captus, abdominis ſegmentis quatuor intermediis rufis femorumque linea dorſali nigra differt. Feminae variant thorace immaculato et lineola flaua antica laterali, punctoque flauo ad baſin coxae poſticae. Schrankii *T. nigra* Enum. 660. huc non ſpectat. I.

(p. 31.)

730. *T. pauida*, antennis 7nodiis nigra, ab-

domine

domine ſegmentis tribus, pedibusque ferrugineis. F. Sp. 411. 27.

De Geer Inſ. 2. 2. tab. 35. fig. 17. 18.

Reaum. Inſ. 5. tab 12. fig. 19. 20. 21.

♀ *T. territa* Muſ. Hellw. Hoffmansegg.

Nigra, pedibus abdominisque medio 3, 4, 5 ferrugineo. Alae hyalinae, ſubflauae puncto fuſco marginali. Os nigrum. Femina. Hab. in hortis. Long. 5 lin.

Fabricii *T. pauida* mihi differre viſa eſt. I.

* 731. *T. Rubi Idaei*, capite thoraceque nigris, abdomine flauo, antennis duplicibus laquei inſtar conniuentibus.

♀ *Hylotoma furcata* Fabr. S. Piez. 22. 8.

T. Rubi Idaei Roſſi Mant. 241.

Magnitudo *T. Roſae*, at paulo minor. Caput et thorax nigra immaculata. Abdomen flauum. Antennae thorace longiores, porrectae, duplices, aequales, tomentoſae et laquei ad inſtar conniuentes. Mas.

Non confundenda cum *T. ſertifera.* Fourcr. Ent. Par. 46. Dubitaui eam eſſe poſſe varietatem ſingularem *T. Roſae*, at forma antennarum et habitatio nimis diuerſa diſſuadere videntur.

Tractu quodam temporis bis tantum inuenta in Rubi Idaei ſiluula, prope quam erant plurimae roſarum plantae, et innumerae earum *Tenthredines* a me diligenter et aſſidue, ſed fruſtra ſemper ad alias inueſtigandas inſpectae. T. IX. f. 9. Long. $3\frac{2}{3}$ lin.

Antennae vno verſu pubeſcentes, vt in maſculis Hylotomis mos eſt. Feminam, quam antennis ſimplicibus eſſe afferunt, nullibi deſcriptam vidi. Noſtra

ſtra ſpecimina maſcula ſunt. Aut Hylotomis familiae ſecundae Fabr. aut peculiari generi annumeranda eſt haec ſingularis, ab Auctore primum deſcripta ſpecies. I.

* 732. *T. Glaucopis*, antennis 9nodiis flaua, oculis violaceis.

Tota flaua, antennis thorace breuioribus, forte *T. flaua.* F. Sp. 417. 60? At figura Reaumurii a Linnaeo in Fn. Sv. citata minime conuenit cum noſtro ſpecimine.

Inuenta in horto. Long. 2 lin.

(p. 32)

* 733. *T. dorſigera*, antennis 7nodiis nigra, abdomine medio ferrugineo, apice ſuperius aculeato.

Antennae, caput et thorax nigra. Abdomen clauatum, nigrum, annulo tertio et quarto ferrugineo, in medio punctis nigris duobus; definit in duas appendices, ſurſum eleuatas, quarum in medio eſt aculeus, non poſitus inferne vti in feminis congeneribus, ſed ſuperne inſertus mucrone albido porrecto, et terram verſus deflexo. Pedes quatuor antici nigri, extrorſum vix pallidi; poſtici vero toti nigri et praelongi. Alae ſubhyalinae puncto nigro marginali. Haud dubitandum aſſertum mucronem eſſe genitale maſculinum, quod diuerſum videre eſt in Reaumurio t. 5. p. 1. t. 11. f. 7. nec de inſtrumento ad arctiorem copulam deſtinato, nam haec, vti iam coſtat, plerumque duo ſunt, et vngulae formam habere ſolent. Mucro in meis ſpeciminibus cultri falcati ad ſerrae munus exequendum idonei figuram exhibet.

Capta pluries in ſiluis. Long. 6 lin.

***** *An-*

***** *Antennis ſetaceis articulis plurimis.*
(Lyda Fabr.)

734. *T. Betulae,* antennis ſetaceis corpore rubro, thorace, ano oculisque nigris, alis poſtice fuſcis. F. Sp. 417. 57.

Linn. Syſt. Nat. 927. 47. Fn. Sv. 1565.
De Geer Inſ. 2. 2. 1039. 34. tab. 40. fig. 21.
♀ *Lyda Betulae* Fabr. S. Piez. 44. 8.
Cephalcia Betulae Panz. Fn. Germ. 87. tab. 18.

Deſcriptiones Linnaeana et De Geerana optimae, at in noſtris ſpeciminibus etiam pectus et mandibulae nigrae, collumque elongatum. Habitat in ſiluis rara. Long. 5½ lin.

Hic addere liceat, *Cephalciam Clarkii* a celeb. Jurine tab. 7. pro typo generis datam, genuinam eſſe *Tenthredinem reticulatam* Linn. Syſt. Nat. 2. 927. 46., quam Fabricius, nomine ſuppreſſo, ad *Lydam campeſtrem* S. Piez. 45. 9. minus recte retulit. I.

(p. 33.)

CXIII. SIREX.

Palpi inaequales, poſteriores longiores, extrorſum craſſiores. *Antennae* ſubfiliformes.

Obſ. Tria optime diſtincta genera ſub *Sirice* olim complectebantur, *Sirex* nempe Jurin. Fabr. Klug. qui *Vrocerus* audit Latreillio; dein *Xiphydria* Latr. Fabr. ſ. *Hybonotus* Klug. ſ. *Vrocerus* Jurine, et denique *Cephus* Latr. Fabr. *Trachelus* Jurine, *Aſtatus* Panzeri et Klugii. Klug Monographiam nitidiſſimam horum generum et *Sapygae* dedit, omni laude maiorem. I.

735. *S. Gigas*, abdomine baſi, apiceque flauo, corpore nigro. F. Sp. 418. 1.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 928. 1. Fn. Sv. 1572.
Geoffr. Inſ. 2. 265. tab. 14. fig. 3.
Reaum. Inſ. 6. tab. 31. fig. 1. 2.
De Geer Inſ. 1. tab. 36. fig. 1. 2.
Roeſ. Inſ. 2. Veſp. tab. 8. 9.
Scop. Ent. Carn. 739. Pod. M. G. 104. Schrank. E. I. 694.
Schaeff. Elem. tab. 1. fig. 2. Icon. tab. 10. fig. 2. 3.
♀ *S. Gigas* Fabr. S. Piez. 48. 1.
Chriſt. Hymen. 412. tab. 46. fig. 2. 3.
Schaeff. Icon. tab. 121. fig. 6.
Varietas feminae minor: *S. pſyllius* Fabr. S. Piez. 49. 2.
Mas: *S. Mariscus* Fabr. S. Piez. 51. 14.
Chriſt. Hymen. 415. tab. 47. fig. 2.
S. Hungaricus id. 414. tab. 47. fig. 1.
S. Gigas Mas Klug Mon. 33. tab. 2. fig. 3. 4. 5.

Femina primum capta Piſis d. 22. Sept. 1787. in platea pone Eccleſiam D. Stephani: deindeque anno poſteriori lectae aliae duae feminae; vna iuxta ſepem in ſiluis, d. 25. Iul., altera Calceolarii mihi addicti officinam ingreſſa eſt d. 7. Sept.; haec praecedentibus valde minor, nempe longa 18, lata 2 lin.

Arboribus coniferis abundant ſiluae Piſanae. Sub Ioue frigido, aut temperato raro, aut vix vnquam reperiuntur inſecta, quae indigena viuunt ſub calidiſſimo coelo: at contra ſaepe occurrunt in temperato, quae obuia ſunt frigidiſſimis regionibus, earumque propria dicuntur. Long. a capitis vertice vsque ad aculei finem 23 lin. lat. 5 l.

Inſectum forte polygamum; mares enim feminis admodum rariores ſunt. Specimina adeo puſilla occurrunt, vt *Camelo* ſequente minora ſint; quod

in omnibus inſectis obſeruatur, quorum metamorphoſis in ligno fit. Feminam talis paruae ſtaturae Fabricius ſub *Pſyllio* deſcripſit.

Panzeri *S. Camelus* Fn. Germ. 52. tab. 15. ad *S. Augurem* Klug. Mon. Sir. 34. 2. pertinet. I.

736. *S. Camelus*, abdomine atro, lateribus albo-maculato, thorace laeui. F. Sp. 420. 10.

♀ *Xiphydria annulata* Muſ. Hellw. Hoffm.

X. longicollis Latr. H. N. XIII. 146. 3.

Vrocerus annulatus Jurine Hymen. tab. 7.

Femina capta in medio Piſarum d. 20. Iul., cum ſupra pileum volaſſet. Mas captus ſupra limen putei domeſtici. Vterque habet abdomen atrum lateribus flauo-maculatum macula acuta. Pedes autem ferruginei in mare; in femina luteo-varii. Long. maſculi 8½ lin., feminae 11 lin. Aculeus longitudine aequat abdomen. Antennae nigrae thoraci aequales. Caput poſtice lunulis duabus. Oculi albida linea cincti. Collum longum, et vere inſtar colli Cameli incuruum. Nec ob flauum macularum colorem, qui facile tranſit in album, dubitandum eſt me pro *S. Camelo* male aſſumſiſſe *S. Columbam:* nam magnitudo, thorax laeuis, ſupra niger, ſtrigae flauae, quae deſunt in noſtris, cornu minime flauum, et margo exterior alarum non flaueſcens a *S. Columba* noſtra ſpecimina omnino remouere videntur.

Hanc Xiphydriae ſpeciem *S. Camelum* Fabr. *Hybonotum Camelum* Klug. Mon. 14. 1. non eſſe, mihi perſuaſum eſt. Pedum et capitis deſcriptio in *Annulatam* noſtram cadit, cuius feminam Jurine l. c. depinxit, quemque a Vienna ſub *Siricis tabidi* nomine falſo miſerunt. Femina pedes nigros habet,

bet, tibiisque tarſisque baſi albidis, tibiis tarſisque anticis ſubferrugineis. Orbita interior a canthi oculi inferiore inde vltra dimidium oculum flauicat. Strigae duae parallellae verticales ad occiput vsque continuatae. Abdominis ſegmentum baſale puncto vtrinque minimo, 2 - 6 macula laterali interne acuta, octauum macula transuerſali laterali, ſeptimum immaculatum, in maſculo omnia ſegmenta macula flaua laterali notata ſunt; idem minor eſt pedibusque obſcure ferrugineis, femoribus poſteriorum nigris, iisdem vt tibiae poſticae apice, macula albida notatis. I.

(*p. 34.*)

737. *S. Dromedarius*, abdomine atro, medio rufo: puncto vtrinque albo, tibiis baſi albis. F. Mant. 258. 14.

♀ *Xiphydria Dromedarius* Fabr. S. Piez. 53. 3.
Hybonotus Dromedarius Klug. Mon. Sir. 15. 2. tab. 1. fig. 6. 7.
Vrocerus Dromedarius Panz. Fn. Germ. 85. tab. 10.

Statura et ſumma affinitas *S. Cameli.* In meo ſpecimine abdominis ſegmentum primum et ſecundum nigra: 3, 4, 5, 6, 7 ferruginea: 8 nigrum macula vtrinque flaua, ſeu albida: 9 nigrum immaculatum.

Antennae nigrae, tenues, ſetaceae, et thorace breuiores. Pedes omnes ferruginei, poſticique geniculis albidis. Caput vero ad latera poſtica lunulas duas albidas habet, et duas in vertice. Pone ſcutellum lateribus puncta duo minutiſſima alba. Corniculum breue, nigrum quod ſub abdomine apice dilatato longius quam in aliis deliteſcit. Alae hyalinae vix flaueſcentes.

Captus in ſiluis rarus. Mox ſub Iulii finem ſaepe lectus primis horis matutinis quieſcens in Salice, et ſemper inuentus femina. *App. Em.* 135. Long. a cap. vertice vsque ad aculei finem 8 lin.

(*p.* 35.)

738. *S. pygmaeus*, abdomine compreſſo nigro; punctis duobus, faſciisque tribus luteis. F. Sp. 420. 12.

♀ *Cephus pygmaeus* Fabr. S. Piez. 251. 3. Latr. H. N. XIII. 143. 2.

Mas: *Aſtatus pygmaeus* Klug. Mon. 50. 2. tab. 6. fig. 3.

Femina: *Aſtatus ſpinipes* Klug. Mon. 51. 3. tab. 6. fig. 4. a. b.

Banchus Viridator Fabr. S. Piez. 127. 5.

Banchus ſpinipes Panz. Fn. Germ. 72. tab. 17.

Sirex pygmaeus Coqueb. Ill. II. tab. 11. fig. 2.

Antennae nigrae, filiformes ad apicem craſſiores, fere longitudine corporis. Thorax ater poſtice macula ſcutellari vireſcenti trianguli ad inſtar inciſa. Abdomen atrum nitidum ſubcompreſſum faſciis quatuor luteis, prima interrupta. Corniculum feminae breue nigrum rima flauicante. Os et pedes antici flaui, poſticique in parte nigri. Habitat in floribus Ranunculi bulboſi minime rarus. Long. 4 lin.

Synonyma appoſui, quae *S. pygmaeo* Fabr. Sp. ab Auctore citato conueniunt. E menſura data enim huius et ſequentis, quae noſtris ſpeciminibus vtriusque ſpeciei non paucis contraria eſt, cum *Cephus tabidus* maior ſemper ſit *pygmaeo*, dubium de *Pygmaeo* Auctoris exortum eſt, forſan cum *Cepho Troglodyta* Fabr. rectius coniungendo. Caeterum patet e deſcriptione, ſegmentum abdominis baſale tho-

thoraci adſcriptum eſſe. Noſtra ſpecimina maſcula *C. pygmaei* Fabr. cum deſcriptione congruunt, quam acutiſſimus Klug l. c. dedit. Cel. Latreille *Aſtatum pallipedem* Klug. Mon. 53. 4. tab. 6. fig. 6. quem eundem coniicio cum *Cepho phthiſico* Fabr. S. Piez. 251. 5. eiusdem *Aſt. analem* 54. 6. tab. 7. fig. 1., *Aſt. punctatum* 55. 7. tab. 7. fig. 2. a. b. *Aſt. floralem* 53. 5. tab. 6. fig. 5. a. b., hos omnes varietates *Cephi pygmaei* declarat, de quo iudicare non audeo. I.

739. *S. tabidus,* niger, abdominis lateribus flauo-punctatis, tibiis anticis teſtaceis. F. Sp. 420. 13.

♀ *Cephus tabidus* Fabr. S. Piez. 252. 6.
Aſtatus tabidus Panz. Fn. Germ. 85. tab. 11.
Sirex tabidus Coqueb. Ill. tab. 11. fig. 4.

Variat pedibus omnibus nigris. Specimen etiam habeo corpore toto nigro, exceptis tibiis anticis ferrugineis, et apice abdominis flauo. Hab. in floribus rarior. Long. 3½ lin.

In Gallia meridionali, nec non in Luſitania occurrit. Saepius punctorum flauorum loco vitta continua abdominis latera legit. *Cephum macilentum* Fabr. S. Piez. 251. 4. *Siricem macilentum* Coqueb. Ill. II. tab. 11. fig. 3. varietatem huius ſpeciei eſſe, facile crediderim. — Specimen ab Auctore deſignatum forte eſt *Aſtatus analis* Klug. Mon. 54. 6. tab. 7. fig. 1., quem Jurine ſub *Trachelo haemorrhoïdali* Hymen. tab. 7. depinxiſſe videtur. — Panzeri Faun. 52. tab. 19., quam Fabricius allegat, ad *Oryſſum coronatum* pertinet. I.

CXIV. ICHNEVMON.

Labium cylindricum, apice membranaceum, emarginatum, medio palpigerum. *Antennae* ſetaceae.

Obſ. Ichneumonum gens numeroſa et verſatiſſimos ac peritiſſimos entomologos vexat, non magis copia ſpecierum, quam magna affinitate, qua plures connectuntur, et praecipue ſexus differentia multarum ſpecierum adhuc dubia. Copula coniunctae raro capiuntur beſtiolae hae admodum agiles, et laruas nutrire, quod in aliis inſectis ad ſexus differentiam cognoſcendam ſaepius feliciter adhibetur, Ichneumonibus, oua ſua ſingula ſingulis laruis aliorum inſectorum imponentibus, applicari nequit. Antennae multiarticulatae filiformes, hypoſtomati infixae, palpi filiformes, oculorum ſitus ac figura, thoracis abdominisque forma, pedum ratio reciproca et figura, omnibus fere iidem ſunt. Syſtema neruorum alae genera pauca tantum ſubminiſtrat, nec. vt mihi videtur, vere naturalia, *Braconum Ophionumque* ſpeciebus pluribus areolis alarum differentibus, caeterum ſimillimis, ita, vt demtis alis, vix diſtinguantur, e. g. *Ophion glaucopterus* e ſyſtemate Juriniano ab *Ophionibus luteo, flauo* aliisque, qui *Anomala* ſunt ſecundum celeb. Jurine, ſolis alarum areolis diſtinctus videtur. Ex alarum areolis *Stephanus*, *Foenus*, *Pelecinus*, *Cechenus*, *Ibalia* Latr., *Anomalon*, *Bracon*, *Chelonus*, *Sphaeropyx*, minutarumque ſpecierum plura ab Ichneumonibus differunt. *Stephanum* Fabricius *Braconi*, Latreille *Ichneumoni* adſcribit; *Foenus* et *Pelecinus* antennis facile dignoſcuntur; *Cecheni* genus noſtrum a cel. Latreille ſub *Alyſiae* nomine itidem ſeparatum, *Ichn. manducatorem* Panzeri ſpeciemque nouam Americanam com-

complectens, Fabricioque *Cryptis* coniunctum, etiam mandibulis differt. *Ibalia* Latr. ſ. *Banchus Cultellator* Fabr. antennis a tota Ichneumonum familia diſcrepat, et celeberrimo Jurine Cynips eſt. *Anomalon* Jurin. magna ex parte *Ophioni* Fabricii correſpondens, plures tamen ſpecies poſcit, quae a reliquis Ichneumonibus ſolis alis differunt, pluresque recuſat, quas aegre ſeparare velles. *Braconis* genus Jurinianum a Fabricio adoptatum, Latreillioque *Vipio* vocatum, plures ſpecies excludit, quas ex ore roſtrato caeteroque habitu cum eo coniungere malles, e. g. *Deſertorem*. Fabricius et Latreille eas *Braconibus* adſociant. *Chelonus* Jurine *Ichn. Oculatorem* Fabr. comprehendit, cui Latreille minus bene *Cryptum irroratorem* Fabr. addidit, *Sigalphus* nomine genus nuncupans, quem clariſſ. Comes ab Hoffmansegg genere peculiari *Sphaeropyx* diſtinxit. A reliquis Ichneumonibus Entom. ſyſt. ſoli *I. necatorius* Fabr. ſ. *veſpoïdes* Panz. et *Micratorius* Fabr. iure diſtingui poſſe videntur, quod nomine *Peltaſtes* feci; atque *Ioppae* genus Fabricianum nouiſſimum, cui *Banchum Venatorem*, *Braconem Pennatorem*, *Ichneumonemque Laminatorem* Fabr. addo. Palporum articulus tertius ſecuriformis ad genus Ioppae diſtinguendum non ſufficit, iisdem palpis in *Ichneumone flauatorio* Fabr. *Bidentorio* Panz. aliisque occurrentibus, ſed antennae aut apicem acutiſſimum verſus incraſſatae, aut ibidem quaſi moniliformes characteri generico addendae ſunt. *Banchi* genus vix ab *Ophionibus* diuerſum videtur, et genera Syſtematis Piezatorum Fabriciana *Ichneumonem*, *Cryptum*, *Baſſum* et *Pimplam* me diſtinguere neſcire fateor.

Vtinam Ichneumonum genus Klugium Meigeniumque ſuum breui nanciſcatur, qui felici ingenio

nio et arte hanc rudem indigeſtamque molem in formas vere naturales ſoluant! I.

* *Antennis albo - annulatis.*

740. *I. ſugillatorius*, ſcutello flauicante, thorace immaculato, abdomine atro, ſegmentis duobus vtrinque puncto albo. F. Sp. 420. 1.
Linn. Syſt. Nat. 930. 1. Fn. Sv. 1578.
Geoffr. Inſ. 2. 345. 54.
♀ *I. ſugillatorius* Fabr. S. Piez. 54. 1.
Variat. Saepe vnicum punctum vtrinque albidum ſecundo abdominis ſegmento. Puncta Geoffroyana ad originem femorum aut deſunt in noſtris, aut nil aliud eſſe videntur, quam ipſae iuncturae intus albidae. Hab. ruri non frequens. Long. 6 lin.

741. *I. raptorius*, ſcutello albo, thorace immaculato, abdominis ſegmento ſecundo, tertio quartoque luteis, reliquis apice albis. F. Sp. 421. 2.
Schrank. Enum. Inſ. 696.
♀ *I. groſſorius* Fabr. S. Piez. 57. 15.?
I. raptorius Enc. meth. VII. 164. 2.?
Noſtra ſpecimina variant. Plerumque ſegmenta abdominis ferruginea duo, reliqua omnia nigra apice maculis quatuor dorſalibus albis. Variat etiam abdominis apice maculis tantum duabus albis, aculeo breuiſſimo. Femina.
Habitat ruri. Captus etiam intra corticem et lignum Quercus m. Ian. Long. 6 lin.

Geoffroy Ichneumon 49, quem Auctor cum aliis citat, aperte ad *I. extenſorium* Fabr. pertinet. Linnaei *I. raptorius*, quem Fabricius perperam ſuum fecit.

fecit, cum ſegmenta abdominis duo tantum, ſecundum ſcilicet et tertium, rufa, quartum et quintum nigra, ſextum et ſeptimum nigra puncto albo notata deſcribat, forſan idem *Extenſorius* Fabr. Menſura et deſcriptio a cel. Roſſi exhibitae eiusque allatum citatum e Schrankio, *Groſſorium* Fabr. indicare videntur. I.

742. *I. extenſorius*, ſcutello flauicante, thorace immaculato, abdominis ſegmento ſecundo, tertioque ferrugineis, vltimis apice albidis. F. Sp. 421. 4.

Linn. Syſt. Nat. 930. 4. Fn. Sv. 1581.
Schaeff. Icon. t. 43. f. 1. 2.
♀ *I. extenſorius* Fabr. S. Piez. 56. 12.
Geoffr. Inſ. II. 342. 49.
I. raptorius Linn. Syſt. Nat. 2. 930. 2. Fn. Sv. 1579. varietas.

Schrankius mares tantum vidit, et ego nonniſi mares: alter ſexus ne diuerſus, et ſub alio nomine? Hab. in hortis. Long. 4⅔ lin.

Equidem omnia ſpecimina noſtra, quorum ſegmenta vltima ſola albonotata ſunt, aculeata reperi, aculeo ſcilicet intra abdomen retracto. Mares ſegmenta omnia apicalia guttata habent. De citatis meis praecedenti adſcripta conferantur. Variat haec ſpecies magnitudine, ſegmentis apicalibus omnibus alboguttatis, femoribus omnibus nigris. I.

(p. 37.)

743. *I. culpatorius*, ſcutello flauicante, thorace immaculato, abdominis ſegmento ſecundo, tertioque ferrugineis, reliquis nigris. F. Sp. 321. 6.

Linn. Syſt. Nat. 931. 6. Fn. Sv. 1583.
♀ *I. culpatorius* Fabr. S. Piez. 55. 7.

Hab. ruri frequens. Long. 4½ lin.

744. *I. infractorius,* ſcutello flauo, thorace maculato, abdominis ſegmentis margine flauis, pedibus flauis, femoribus nigris. F. Sp. 422. 9.

Linn. Syſt. Nat. 931. 7. Fn. Sv. 1584.

♀ *I. infractorius* Fabr. S. Piez. 58. 21.

Antennae conuolutae. Abdomen faſciis quinque luteis. Hab. cum praecedente. Long. 6 lin.

Linnaeus pedes ferrugineos geniculis nigris deſcribit, quales numquam vidi, nec Fabricius, Panzerus, Schaefferus eos referunt. I.

745. *I. molitorius,* ſcutello albo corpore atro. F. Sp. 422. 12.

I. molitorius ſcutello flaueſcente, thorace immaculato, abdominis apice, tibiarumque baſibus albis. Linn. Syſt. Nat. 931. 10. Fn. Sv. 1587.

♀ *I. molitorius* Fabr. S. Piez. 55. 5.

Pedes colore variant. Hab. in hortis frequens. Long. 4½ lin.

Plures ſpecies ſub *Molitorio* confunduntur. I.

746. *I. ſaturatorius,* ſcutello albo, thorace immaculato, abdomine nigro, apice albo. F. Sp. 422. 11.

Linn. Syſt. Nat. 931. 9. Fn. Sv. 1586.

De Geer Inſ. 1. t. 23. f. 16.

♀ *I. ſaturatorius* Fabr. S. Piez. 56. 13.

Pedes ferruginei tibiis poſticis nigris. Hab. circa flores. Long. 6 lin.

Schaeff. Icon. tab. 61. fig. 4. ab Auctore citata ad *I. ſarcitorium* ſpectat. I.

747. *I. ambulatorius,* ſcutello flauicante, thorace maculato, abdominis ſegmento ſecundo ferrugineo, reliquis margine albis. F. Sp. 422. 10.

♀ *I.*

♀ *I. ambulatorius* Fabr. S. Piez. 58. 22.
Antennae vltra medium flauae. Pedes rufi. Hab. in hortis. Long. 6 lin.

I. ambulatorius Panz. Fn. Germ. 78. tab. 10. et Schaeff. Icon. tab. 74. fig. 4., quem Fabricius allegat, peculiaris ſpecies eſt, *I. vadatorius* Nob. I.

(p. 38)

** *Scutello albo, antennis nigris totis.*

748. *I. luctatorius*, ſcutello albo, thorace maculato, abdominis ſegmento ſecundo, tertioque luteis. F. Sp. 423. 15.

Linn. Syſt. Nat. 931. 13. Fn. Sv. 1590.
♀ *I. luctatorius* Fabr. S. Piez. 60. 29.
Caput, thorax, antennae nigra. Caput depreſſum. Pedes flaui geniculis nigris. Vidi tantum mares. Hab. in pratis. Long. $4\frac{2}{3}$ lin.

Linnaeus hypoſtoma nigrum macula laterali flaua notatum deſcribit, quod noſtris conſtanter totum flauum eſt. I.

749. *I. faſciatorius*, ſcutello albo, thorace maculato, abdomine nigro, ſegmento ſecundo baſi, tertio ſextoque flauis. F. Sp. 423. 17.
Deſcriptio Fabr. Variat ſegmento ſecundo flauo. Hab. ruri. Long. 5 lin.

I. faſciatorius Fabr. infra ſub nomine *I. armatorii* 752 deſcribitur; quid *Faſciatorius* Auct. ſit, neſcio. I.

750. *I. vaginatorius*, ſcutello albo, thorace maculato, abdomine nigro, faſciis quinque albis: tertia interrupta. F. Sp. 423. 19.

Linn. Syſt. Nat. 932. 15. Fn. Sv. 1592.
♀ *I. vaginatorius* Fabr. S. Piez. 62. 39.
Panz. Fn. Germ. 79. tab. 8. et 9.

An-

Antennae nigrae ſubtus ferrugineae. Caput nigrum macula flaua ante oculos. Abdomen ſegmentis margine flauis. Pedes antici lutei, poſticique femoribus, et tibiis nigro-annulatis. Hab. etiam in hortis frequens. Long. 4½ lin.

(p. 39)

751. *I. bidentorius?* ſcutello flauicante, thorace ſubmaculato, abdominis ſecundo, tertioque ſegmento flauo, pedibus rufis. F. Sp. 424. 21. Plures habeo, quorum nonnulli prodierunt mihi e pupis phalaenarum menſe Maii. Antennae nigrae fere longitudine corporis ſubtus rufae. Caput nigrum linea ante oculos flaua. Thorax niger puncto ſub alis, ſcutelloque flauis. Spina ad vtrumque latus thoracis poſtice. Abdomen nigrum ſegmento ſecundo tertioque antice flauis; reliquis antice nigris, poſtice flauis. Subtus ſegmenta omnia antice nigra, poſtice flaua. Tibiae et plantae ferrugineae. Alae hyalinae, coſta punctoque marginali ferrugineis. Hab. etiam in hortis. Long. 6, 7 lin.

Species a *Bidentorio* Fabr. diſtincta. Habitus ei communis eſt cum *Infractorio* nr. 744, ſegmentum petiolare lineas quatuor longitudinaliter eleuatas habet, laterales abbreuiatas; tibiae poſticae apice nigricant, clypeus niger. Spinae metathoracis pluribus ſpeciebus communes ſunt. I.

* 752. *I. armatorius*, niger, ſcutello flauo, antennis nigris, ſubtus rufis thorace vtrinque ſpina armato, abdomine nigro, cingulis binis anoque flauis. Forſter N. I. C. n. 82.

♀ *I. faſciatorius* Fabr. S. Piez. 61. 35. (*nugatorius*)

I. bi-

I. bidentorius Panz. Fn. Germ. 45. tab. 15. (*deſertorius*).

Magnitudo *I. luctatorii.* Caput nigrum fronte, labioque flauis. Antennae nigrae, ſubtus rufae baſi flauae. Thorax niger punctis duobus ad baſin alarum flauis, ſpina ad vtrumque latus thoracis poſtice. Scutellum flauum. Abdomen longum compreſſum ſegmento ſecundo tertioque antice dimidiato flauis. Subtus ſegmenta 2, 3, 4 flaua, ſed quartum puncto vtrinque nigro. Anus flauus. Pedes primi et ſecundi paris toti lutei femoribus nigro-maculatis. Femora poſtica nigra baſi flaua. Tibiae poſticae flauae apice nigrae. Alae rufae. Non confundendus cum *I. armatorio* F. Mant. 260. 13. Hab. in hortis frequens. Long. 6½ lin.

Abdomen depreſſum nec compreſſum eſt. *I. bidentorius* Fabr. ad quem Panzeri *Bidentorius* citatur, pedibus rufis differt. Conferantur quae *Faſciatorio* nr. 749. addidimus. I.

(*p.* 40.)

753. *I. deliratorius*, ſcutello flauicante, thorace maculato, punctis vtrinque tribus, abdomine toto atro, tibiis albis. F. Sp. 425. 28.

Linn. Syſt. Nat. 932. 20. Fn. Sv. 1597.

Geoffr. Inſ. 2. 344. 53.

♀ *I. deliratorius* Fabr. S. Piez. 64. 51.

Antennae nigrae longitudine corporis. Labium et ſcutellum alba. Thorax niger. Abdomen oblongum, nigrum. Pedes nigri tibiis introrſum albidis. Alae fuſcae. Hab. in floribus. Long. 7 lin.

* 754. *I. marginatorius*, ater, ſcutello flauicante, thorace maculato, abdominis ſegmentis quatuor poſticis margine luteis.
Antennae nigrae corpore breuiores, macula ante oculos flauicante. Thorax ater, ſcutello punctis duobus ante alas, et vnico ſub ſcutello flauis. Abdomen nigrum ſubſeſſile, antice immaculatum, ſegmentis quatuor poſticis margine flauo-lineatis. Femora nigra, tibiae anticae, tarſique flaui, tibiis poſticis nigris. Mas. Affinis *I. lituratorio.* Linn. Syſt. Nat. 932. 17. Hab. ruri. Long. 5¼ lin.

754-5. *I. piſorius*, ſcutello albo, thorace lineato, abdomine teſtaceo: petiolo nigro. F. Mant. 260. 15.

Linn. Syſt. Nat. 931. 12. Fn. Sv. 1589.
Schaeff. Icon. tab. 6. fig. 12.
♀ *I. piſorius* Fabr. S. Piez. 59. 25.

Thorace interdum absque linea antica vtrinque marginali alba. Mas. Hab. apud nos rarior. Long. 11 lin. (Addend. pag. 345.)

*** *Scutello nigro, antennis faſciatis.*

* 755. *I. ſalutator*, niger, thorace albo-punctato, abdomine ferrugineo, petiolo nigro, pedibus rufis.

♀ Oliv. Encycl. meth. VII. 178. 71.

Proximus *I. profligatori*, at maior. Antennae nigrae albo-faſciatae. Caput nigrum orbita oculorum alba. Thorax niger, punctis albis minutiſſimis ad marginem vndique notatus. Scutellum nigrum. Abdomen totum ferrugineo-fuſcum

cum petiolo nigro. Pedes fului tibiis poſticis nigris. Alae puncto marginali nigro. Prodiit mihi e pupa phalaenae d. 27. Apr. Long. 5⅔ lin. lat. 1 l.

(p. 41.)

756. *I. profligator*, niger, abdomine ferrugineo, petiolo nigro, pedibus rufis. F. Sp. 427. 44.

Geoffr. Inſ. 2. 341. 46.

♀ *Cryptus profligator* Fabr. S. Piez. 83. 52.

Antennae nigrae albo-faſciatae. Caput et thorax nigra, immaculata. Abdomen ferrugineum aculeo exſerto breuiſſimo nigro. Pedes nigri tibiis rufis. Femora poſtica paullo craſſiora. Magnitudine variat. Long. 3⅔ lin.

757. *I. comitator*, ater totus, antennis faſcia alba. F. Sp. 426. 37.

Linn. Syſt. Nat. 933. 24. Fn. Sv. 1600.

Geoffr. Inſ. 2. 338. 93.

De Geer Inſ. 1. t. 24. f. 10.

♀ *I. comitator* Fabr. S. Piez. 65. 58.

Totus niger antennis ab vno latere albis. Hab. in ſiluis. Long. 5¾ lin.

De citato Reaumuriano 6. t. 29. fig. 1-4. haec animaduertere liceat, aculeum ibidem corpore longiorem repraeſentatum eſſe, qui in noſtro, Geoffroyano et Fabriciano breuiſſimus eſt, quam ob cauſſam hoc citatum omiſimus. Olivier in Enc. meth. VII. 177. 64. itidem aculeum corpore longiorem deſcripſit. I.

758. *I. reſtaurator*, niger, abdominis ſtriga alba, pedibus ferrugineis antennis faſciatis. F. Sp. 426. 39.

♀ *I. reſtaurator* Fabr. S. Piez. 67. 74.

De-

Deſcribit eum Fabricius. Hab. in ſiluis. Long. 4½, lat. 1 lin.

(p. 42.)

* 759. *I. gladiator*, niger, femoribus fuluis, aculeo corpore duplo longiore. Scop. Ent. Carn. 744.

♀ *I. gladiator* Oliv. Enc. meth. VII. 180. 79.

I. inſignitor Vill. Ent. 3. 164. 90.

Antennae corporis longitudine annulo albo. Scutellum thoraci concolor. Tibiae nigrae. Tarſi poſtici albidi vnguibus nigris. Abdomen petiolatum lin. 2½ longum non computato aculeo. Alae hyalinae nube media fuſca. Accedit ad *I. titillatorem.*

Saepius mihi prodiit e cellulis ſphaericis argillaceis magnitudine exiguae Auellanae, quas inueni Vlmi cortici adhaerentes. Saepe etiam captus ruri. Long. 4½ lin.

Species haec a cel. Auctore ipſo communicata, etiam Germaniae indigena eſt, et *Ichneumoni eleuatori* Panz. Fn. Germ. 71. tab. 15. ſatis ſimilis. Fabricius eam Baſſis ſuis annumeraret. Pedes omnes ruſi baſi nigra, poſticorum tibiae nigricantes tarſique eorum nigri annulo ante apicem lato albo. Antennarum annulus albus vno latere ſtriga nigra interruptus. I.

760. *I. incubitor*, niger, abdomine ferrugineo, apice nigro, macula alba, alis hyalinis, antennis faſciatis. F. Sp. 427. 45.

Linn. Syſt. Nat. 933. 26. Fn. Sv. 1602.

♀ *Cryptus incubitor* Fabr. S. Piez. 83. 53.

Abdomen obuerſe-ouatum ferrugineum. Aculeus breuis. Hab. in hortis. Long. 3 lin.

Cita-

Citatum: Geoffr. Inſ. 2. 41. 48. tab. 16. fig. 1. omiſimus; figura ibidem data deſcriptioni non correſpondere videtur, forte ſpeciei 49 Geoffroyi adſcribenda, quae noſter *I. extenſorius* eſt. I.

* 761. *I. curtus*, niger, antennis albo-annulatis, tibiis teſtaceis, extimo ano albo. Schrank. E. I. 717.

♀ *I. curtor* Oliv. Enc. meth. VII. 180. 80.

Totus niger. Alarum anticarum margo ad baſin puncto albo.
Tibiae, tarſique teſtacei coloris. Anus extimus albus. Antennas Arietis inſtar gerit mortuus. Abdomen petiolatum, ouatum. Schrank. l. c.
Hab. ruri frequens. Long. 2⅔ lin.

(p 43)

**** *Scutello antennisque nigris totis.*

762. *I. arrogator*, ater, abdominis ſegmento ſecundo tertioque fuluis, alis atris, macula coſtali teſtacea. F. Sp. 429. 54.

♀ *I. arrogator* Fabr. S. Piez. 66. 65.

Caput cum antennis, thorax, pedes atra immaculata. Abdomen ouatum, atrum ſegmento ſecundo tertioque rufis. Alae atrae, nitidae macula parua coſtali teſtacea. Hab. ruri. Long. 7 lin.

763. *I. manifeſtator*, ater, immaculatus, abdomine ſeſſili cylindrico, pedibus rufis. F. Sp. 430. 62.

Linn. Syſt. Nat. 934. 32. Fn. Sv. 1608.
Geoffr. Inſ. 2. 323. 5.
Scop. Ent. Carn. 751.
Reaum. Inſ. 6. t. 29. f. 16.
De Geer Inſ. 1. t. 36. f. 9.

Schaeff. Icon. t. 10. f. 3.

♀ *Pimpla manifeſtator* Fabr. S. Piez. 113. 3.

Mas feminae ſimillimus, vix differt linea ante oculos albida, et baſi femorum nigra. Hab. in ſiluis, ſed occurrit etiam in cultis frequens. Long. 6, 7 lin., aculei 10 lin.

764. *I. corruſcator*, corpore artubusque atris, alis fuſco-hyalinis. F. Sp. 430. 59.

Linn. Syſt. Nat. 934. 31. Fn. Sv. 1606.

♀ *I. corruſcator* Fabr. S. Piez. 66. 66.

Totus ater, linea ante oculos albida. Alae puncto marginali aterrimo. Hab. in pratis. Long. 5⅔ lin.

Linnaeus nec lineae albidae orbitalis, quam Auctor, nec hypoſtomatis flaui, tibiarumque baſeos albae, quae Fabricius inſecto tribuit, mentionem fecit. I.

* 765. *I. exſiccator*, corpore atro, immaculato, thorace ſubdentato, pedibus rufis, palpis ſetaceis pallidis.

♀ *I. exſiccator* Oliv. Enc. meth. VII. 214. 43.

Affinis *I. compunctori.* Antennae nigrae corpore dimidio breuiores. Palpi longi ſetacei, vix pallidi. Thorax poſtice denticulis duobus inſtructus. Abdomen ſubfalcatum. Aculeus longitudine corporis. Pedes omnes rufi tibiis poſticis nigris. Hab. ruri. Long. 5 lin.

766. *I. fornicator*, ater, abdomine clauato, fornicato, immaculato, tibiis rufis. F. Sp. 432. 72.

♀ *Banchus fornicator* Fabr. S. Piez. 127. 3.

Corpus totum atrum. Abdomen apice incraſſatum, ſubtus fornicatum. Pedes rufi, plantis poſticis nigris. Aculeus in noſtris niger abdomine bre-

breuior. Femora baſi nigra. Hab. in ſiluis frequens. Long. 5¼ lin.

Aculeus noſtri vix prominet, vt in reliquis huius familiae mos eſt. Ob copiam ſpecierum nigrarum, quibus abdomen fornicatum, apice incraſſatum, pedesque rufi ſunt, dubitare licet, num Roſſi veram Fabricianam habuerit, cuius metathorax ſupra coxas praegrandes nigras pedum poſticorum vtrinque denticulatus eſt. I.

767. *I. venator*, niger, abdomine ſubfalcato; baſi ſubtus incarnata, pedibus rufis. F. Sp. 432. 71.

Aterrimus, palpis, tibiis tarſisque flauis. Hab. ruri. Long. 5 lin.

Fabricii et Linnaei inſectum pedibus rufis ſatis differt ab eo, quod Auctor noſter deſignare voluit. Citata itaque delenda erant. *Banchus venator* Fabr. verus ſcutello in tuberculum ſpiniforme producto, linea laterali marginali eleuata ſinguli ſegmenti, interſtitioque inter hanc lineam et marginem lateralem ipſum aciculato admodum inſignis *Ioppis* Fabr. adnumerandus eſt, quod in obſeruatione noſtra Ichneumonum generi praemiſſa, iam indicauimus. Caue ne deſcriptionem partium oris a cel. Fabricio *Bancho venatori* S. Piez. 126. 1. additam, huic ſpeciei attribuas, quae pluribus notis grauibus ab ea diſcrepat. Banchus alius, neſcio quis, eam ſuppeditauit. I.

768. *I. praerogator*, niger, abdomine oblongo, obtuſo, ore, pedibusque pallidis. F. Sp. 433. 82.

Linn. Syſt. Nat. 936. 44. Fn. Sv. 1619.

♀ *Baſſus praerogator* Fabr. S. Piez. 99. 23.?

Diu haeſi an noſtrum ſpecimen huc eſſet referendum. Antennae totae nigrae longitudine corporis. Caput nigrum palpis ſetaceis pallidis. Thorax niger. Abdomen falcatum, oblongum, obtuſum nigrum. Tibiae ferrugineae, tarſique albi apicibus nigris. Forte *I. Tarſoleucos* Schrank. E. I. 725? Mas. Hab. ruri. Long. 5 lin.

(p. 45.)

769. *I. titillator*, corpore nigro, abdomine ferrugineo, baſi apiceque nigro pedibus poſticis nigris, plantis albis. F.Sp. 431. 70.

Linn. Syſt. Nat. 934. 35. Fn. Sv. 1611.

♀ *Cryptus titillator* Fabr. S. Piez. 86. 68.

Caput, thorax, pedes antennaeque nigrae. Abdomen rufum petiolo, et apice nigro. Pedes antici rufi, poſtici nigri plantis albis. Hab. in hortis frequens. Long. 3⅔ lin.

Citatum Geoffr. Inf. II. 350. 65. ab Auctore adductum, ob maculas albas capitis, reiecimus. I.

* 770. *I. ſeductor*, niger, abdominis apice, faſcia antica tricrenata, et petiolo abdominali apice luteis. Scop. Del. Fl. et Fn. Inſ. Faſc. 1. p. 58. t. 23. f. B.

♀ *Baſſus ſeductorius* Fabr. S. Piez. 94. 4.

Totum corpus glabrum. Caput fronte lineolisque binis luteis. Antennae articulis 26. Labium ſuperius obtuſum. Thorax macula trigona lutea prope ſcutellum, et puncto luteo ad baſin alae anticae ſingulae. Abdomen aculeo triſeto terminatum, cuius ſeta media abdomine non longior; laterales vero breuiores ſunt. Pedes antici et medii toti lutei. Poſtici femoribus ſemiruſis, tibiis apice nigris. Confer quae de origine huius in-

inſecti dicta ſunt in *Deliciis Scopolinis*, vt videas quam facile ſit etiam magnis Entomologis a veritate in hac ſcientia deflectere. Hab. in ſilueſtribus rarus. Long. 7½ lin. excluſo aculeo.

Ob ſcutellum luteum annulumque albidum antennarum rufeſcentium in familia prima enumerandus erat. Scopolii icon annulum antennarum exprimit. Noſter Neapolitanus, Fabricii Baſſus Gallicus eſt. I.

(p. 46.)

771. *I. denigrator*, ater, alis nigris, lunula hyalina, abdomine coccineo. F. Sp. 429. 58.

Linn. Syſt. Nat. 934. 28. Fn. Sv. 1604.
Geoff. Inſ. 2. 352. 69.
I. impoſtor. Scop. Ent. Carn. 758.
Sulz. Hiſt. Inſ. t. 26. f. 16.
Schaeff. Icon. t. 20. f. 4. 5.
♀ *Bracon denigrator* Fabr. S. Piez. 109. 33.
Vipio denigrator Latr. H. N. XIII. 177. 4.

Abdomen ouatum. Aculeus niger breuis. Alae anticae corpore longiores. Pedes antennaeque nigrae. Variat admodum magnitudine; nec tamen etſi feminas quamplures, marem vllum vidi. Hab. in ſiluis non rarus. Long. 2, 4 lin.

772. *I. variegator*, niger, thorace variegato, abdomine compreſſo, clauato, ſegmentorum marginibus flauis, ſcutello acuminato. F. Mant. 268. 102.

♀ *Peltaſtes micratorius* Muſ. Hellw. Hoffm.
Ichn. lunulator Roſſi Mant. 269.
Ichn. micratorius Fabr. S. Piez. 62. 41.
Ichn. lunulatus Villers Ent. 3. 203. 224.
Ichn. lunulatus Oliv. Enc. meth. VII. 219. 74.
I. variegator var. Id. 191. 140.

Eſt hic e maioribus. Antennae nigrae ſubtus flaueſcentes. Caput nigrum fronte flaua macula media

media oblonga nigra. Thorax nigro - flauoque varius. Scutellum emarginato - bidentatum flauum puncto ſubtus flauo. Abdomen compreſſum, clauatum atrum ſegmentorum marginibus omnibus flauis. Pedes flaui femorum baſi nigra. Alae flaueſcentes. Tab. X. f. 13. Hab. Florentiae. Long. 9, lat. 2 lin. vix.

Ichneumonem nunc *Banchum variegatorem* Fabricii S. Piez. 128. 8. noſtrum inſectum non eſſe, Auctori ipſi in Mantiſſa fere perſuaſum erat. *Peltaſtae* genus habitu ſatis inſigne eſt. Hic *Micratorius* ſimillimus eſt *P. necatorio, Ichn. necatorio* Fabr. *S. veſpoidi* Panzeri. Noſtri hypoſtoma totum flauum, quale id Fabricius et Villers deſcripſere. Abdomen depreſſum oblongum lineare, ſegmenta admodum diſtincta ſuperficie denſe punctulata, ſcutellum bidentatum, ſegmentique primi abdominalis tuberculum nodoſum cum *Necatorio* communia habet. I.

(p. 47.)

773. *I. pugillator*, thorace immaculato, abdomine falcato rufo, baſi apiceque nigro, pedibus tenuibus ferrugineis. F. Sp. 434. 89.

Linn. Syſt. Nat. 936. 50. Fn. Sv. 1624.
Geoffr. Inſ. 2. 332. 24.
De Geer Inſ. 1. t. 6. f. 12.
♀ *Ophion pugillator* Fabr. S. Piez. 136. 30.

Apex abdominis obtuſus, quaſi obtruncatus. Pedes colore variant, modo maxima parte nigri, modo ferruginei. Etſi non rarus apud nos, laruam tamen *B. Ziczac* ſemel reperi. Ruri degit. Long. 6 lin.

Caput ſemper immaculatum vidi, nec macula flaua frontali notatum, vti Fabricio deſcribitur. Alae anticae eaedem, quae Ichneumonibus ſunt. I.

774.

774. *I. inſtigator*, niger, thorace immaculato, abdomine fuſco ſegmentis prominulis.
Antennae breues, nigrae, apice flaueſcente. Caput paruum, porrectum, thoraci quaſi connatum. Thorax niger. Abdomen fuſcum, ſeſſile, petiolo breuiſſimo. Subtus fornicatum, ſupra punctulatum annulis ſubaequalibus ſeptem admodum diſtinctis eleuatis. Pedes toti ferruginei. Aculeus longitudine corporis. Alae hyalinae puncto marginali albo ante nigrum. Variat latitudine, at longitudo fere ſemper eadem. Facie accedit ad *I. rugoſum* De Geer Inſ. 3. 597. 3. t. 30. f. 18. Occurrit in floribus. Long. 5 lin.

Cryptum inſtigatorem Fabr. S. Piez. 85. 61. eodem nomine triuiali licet deſignatum, ob aculeum abdomine dimidio breuiorem, non allego. I.

* 775. *I. conciliator*, ater, thorace fuluo, abdomine nigro-cylindrico, pedibus palpisque ſetaceis pallidis.
Ad *I. extenſorem* accedere videtur. Duplo maior *Culice*, valde tenuis et oblongus. Antennae nigrae corpore longiores. Caput nigrum tentaculis albis ſetaceis praelongis. Thorax fuluus. Abdomen nigrum cylindricum, apice parum incraſſato. Pedes toti pallidi flaui, longiuſculi, femoribus clauatis tibiisque poſticis ad apicem nigris. Alae albae hyalinae puncto flauo marginali. Mas. Captus in floribus. Long. 3½ lin.

(p. 48.)

* 776. *I. diuinator*, ater, abdomine cylindrico, ſubſeſſili, obtuſo, ſegmentis omnibus albo-marginatis, pedibus flauis.

♀ *I.*

♀ *I. Hiſtrio* Panz. Fn. Germ. 92. tab. 7.

Accedit ad *I. maculatorem*. F. Tenuis et oblongus. Antennae nigrae, corpore breuiores. Frons nigra. Os albidum absque palpis apparentibus, orbita oculorum albida. Thorax ferrugineus. Abdomen nigrum ſegmentis omnibus albo-marginatis, aculeo corpore longiori. Femora ferruginea, poſticaque ad baſin introrſum nigro-maculata. Pedes albidi poſticique digitis nigro-annulatis. Alae hyalinae puncto marginali teſtaceo. Hab. in foliis arborum. Long. 3⅔ lin.

Deſcriptionem ſpeciminis a cel. Roſſi ipſo cum Hellwigio communicati, Panzeri icon affabre facta inutilem reddit. Fabricius noſtrum inſectum *Pimplis* aut *Cryptis* ſuis annumeraſſet. Nihilominus *Ichneumonem Hiſtrionem* S. Piez. 69. 85. adduxiſſem, ſimilem certe, et maſculam forte ſpeciei affinis, niſi tibias poſticas albas tarſosque eorundem pedum nigros deſcriberet. In noſtro pedes ad baſin vsque rufi ſunt, antici magis flaui, poſteriores apice fuſceſcentes. Antennae ſubtus rufae baſique ibidem albae, metathorax niger, lineola ante alas, alia ſub iisdem, duaeque in regione ſcutelli albidae. I.

* 777. *I. Enecator*, ater fronte flaua, abdomine falcato, ferrugineo, apice nigro, pedibus rufis.

♀ *Ophion Enecator n.*

Antennae nigrae. Caput atrum fronte orbitaque oculorum late flaua. Thorax ad latera flauo-marginatus ſcutello flauo. Abdomen ferrugineum petiolatum, falcatum, ſubcompreſſum apice obtuſo nigro. Pedes ferruginei tibiis poſticis apice nigris.

nigris. Aculeus breuis. Alae hyalinae, corpore dimidio minores. Hab. ruri. Long. 5 lin.

(p. 49.)

* 778. *I. arator*, niger, nitens, antennis antice nigris, poſtice fuluis, abdomine ſubtus lamina vomeriformi.
Alae ſubflauae. Abdomen breue, gibbum apice incraſſato lamina ſubtus concaua, nitida, acuminata vomeri ſimili, a fine petioli incipiente, et vltra anum producta. Aculeus longitudine corporis. Pedes antici et medii ſaturate fului, poſtici nigri femoribus fuluis clauatis. Lamina vomeriformis propria tantum feminae. Mas ſimilis. Accedit ad *I. terebratorem* Scop. Ent. Carn. 749. Hab. in ſilueſtribus. Long. 5¼ lin.

779. *I. deſertor*, luteus, alis fuſcis faſcia alba. F. Sp. 427. 46.

Linn. Syſt. Nat. 334. 29. Fn. Sv. 1605.
Schaeff. Icon. t. 20. f. 2. 3.
♀ *Bracon deſertor* Fabr. S. Piez. 103. 7.
Vipio deſertor Latr. H. N. XIII. 176. 2.

Flauus. Antennae nigrae, corpore longiores, et alis nigro-violaceis, anticis macula media alba. Abdomen ſeſſile breue, depreſſum magnitudine ſeminis Lini, pedibus poſticis tibiisque baſi, et apice nigris. Vagatur ruri frequens. Long. 3 lin.

Secundum ſyſtema Jurines Bracon non eſt, alas enim Ichneumonis habet, at reliquis partibus, praeſertim ore producto, Braconibus ſimillimus eſt. I.

780. *I. rutilator*, niger, antennis ſubtus, abdomine pedibusque quatuor anticis rufis. F. Sp. 430. 61.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 934. 30. Fn. Sv. 1607.

☿ *I. rutilator* Fabr. S. Piez. 66. 67.

Antennae corpore longiores, ſubtus flaueſcentes. Caput fronte quadrata lutea. Pedes quatuor antici ſubferruginei, poſtici duo nigri. Hab. in hortis frequens. Long. 4 lin.

Pedes anteriores in noſtris ſaepius lutei, tibiae poſticorum magis minusue rufeſcentes ſunt. Abdomen feminae apice admodum incraſſatum, oblique truncatum, aculeusque breuiſſimus eſt. I.

(*p. 50.*)

781. *I. iaculator*, niger, abdomine falcato, medio rufo, tibiis poſticis clauatis, baſi, apiceque albis. F. Sp. 435. 92.

Linn. Syſt. Nat. 937. 52. Fn. Sv. 1626.

Geoffr. Inſ. 2. 328. 16.

Reaum. Inſ. 1. t. 36. f. 10.

♀ *Foenus iaculator* Fabr. S. Piez. 141. 1.

Foenus iaculator Jurine Hymen. tab. 7.

Panz. Fn. Germ. 96. tab. 16.

Hab. in Apum Sphegumque laruis. Antennis perquirit, vbi larua latet, auolat, redit, et imponit ei ouum. *T. Bergmann.* Frequens apud nos: ſaepe vidi plures congregatos, et inſidentes ad veſperam ramulis Iasmini grandiflori horti parieti innixi. Long. 6 lin.

782. *I. affectator*, niger, abdomine falcato, maculis tribus lateralibus rufis, tibiis poſticis clauatis nigris. F. Sp. 435. 93.

Linn. Syſt. Nat. 937. 53. Fn. Sv. 1627.

Geoffr. Inſ. 2. 329. 17.

Scop. Ent. Carn. 756.

♀ *Foenus affectator* Fabr. S. Piez. 242. 2.

Prae-

Praecedenti valde affinis. Hab. in hortis inſidens floribus porrecto abdomine. Long. 5 lin.

* 783. *I. tentator*, flauus, corpore ouato, oculis antennisque nigris.

♀ *Bracon tentator* n.

Ichn. cuniculator Roſſi Mant. 265.

Ichn. tentator Oliv. Enc. meth. VII. 195. 153.

Antennae nigrae corpore breuiores. Caput paruum flauum, ore, oculis ocellisque nigris. Palpi vero flaui. Thorax antice nigredine aſperſus. Abdomen petiolatum, ſubſeſſile, ouatum flauum. Pedes flaui, femoribus poſticis tibiisque apice nigris. Alae hyalinae puncto marginali flauo inter duo nigra. Hab. in incultis. Long. 3 lin.

(p. 51.)

* 784. *I. recticornis*, ater, antennis compreſſis, corpore longioribus, craſſis.

♀ *Ichn. regulator* Oliv. Enc. meth. VII. 195. 155.

Totus niger praeter pedes qui ferruginei ſunt. Caput paruum. Antennae corpore paullo longiores, compreſſae, quaſi enſiformes, quae nec armatis oculis articulatae apparent, inſolitae craſſitiei, quasque gerit porrectas, diuergentes apice dorſum verſus incuruo. Abdomen exiguum, ſeſſile, thorace breuius. Alae hyalinae puncto marginali nigro. Baſes femorum nigrae, et femora poſtica craſſa, plantae poſteriores interdum nigrae. Hab. in foliis arborum. Long. 2½ lin.

Anne huius generis aut tribus? I.

***** *Antennis luteis.*

785. *I. luteus*, luteus thorace ſtriato, abdomine falcato. F. Sp. 435. 95.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 937. 55. Fn. Sv. 1628.
Geoffr. Inſ. 2. 330. 21.
De Geer Inſ. 2. 2. t. 29. f. 16. 17.
Schaeff. Icon. t. 1. f. 10. t. 101. f. 4.
♀ *Ophion luteus* Fabr. S. Piez. 130. 1.
Anomalon luteum Jurine.

Variat admodum magnitudine. Cum aculeum habeat breuem acutum acriter pungit. E folliculo *P. B. Quercus* prodiit mihi vnus eximiae magnitudinis, nempe longus 14 lineas. Occurrit ruri frequens. Long. 7½ lin.

786. *I. glaucopterus*, luteus, pectore nigro abdomine falcato, ano nigro. F. Sp. 436. 102.
Linn. Syſt. Nat. 938. 57. Fn. Sv. 1630.
Schaeff. Icon. t. 82. f. 3.
♀ *Ophion glaucopterus* Fabr. S. Piez. 133. 14.

Alae fuſcae puncto marginali teſtaceo. Hab. in ſepibus rarus. Long. 8½ lin.

Alae, quoad areolas Ichneumonis, nitidae luteae, apice fuſceſcentes. I.

(p. 52)

* *I. craſſipes*, fuluus, flauoque varius, thorace ſublineato, femoribus poſticis clauatis.
♀ *I. craſſipes* Roſſi Mant. II. 272.
I. craſſipes Oliv. Enc. meth. VII. 198. 170.
Geoffr. Inſ. II. 332. 25.
I. vinctus Schrank. Enum. 755. Mas.
Pimpla flauicans Fabr. S. Piez. 119. 33.
Baſſus teſtaceus Eiusd. 101. 33.?

Antennae fuluae porrectae, craſſiuſculae longitudine corporis. Oculi nigri. Thorax fuluus ſubniger, lineolis binis flauis obſolete ſtriatus, flauo nigroque inferne punctatus. Scutellum flauum. Ab-

Abdomen ſubſeſſile cylindricum fuluum. Pedes fului femoribus poſticis clauatis, baſi craſſa, nigroque introrſum maculata. Alae fuluae. Tab. II. f. 15. Hab. in ſilueſtribus frequentans flores. Long. 5, lat. ½ lin.

Species, a cel. Roſſi ipſo cum Hellwigio communicata, in Hercynia quoque occurrit. Antennarum ſcapus ſubtus flauus, femora poſtica ipſa immaculata ſunt, at coxae incraſſatae interne nigricant. Mas abdomine magis oblongo, femina breuiore craſſiore, aculeo nigro, abdomine dimidio breuiore. Abdominis ſegmenta nunc immaculata, nunc punctis duobus baſeos nigris. De *Pimpla flauicante* Fabricii non dubito, licet ſpeciem inter *Cryptos* coniecisſem, de *Baſſo teſtaceo* Fabr. nondum certus ſum, id tamen afferam, *Baſſum ſpinatorem* Fabr. noſtrae ſpeciei admodum ſimilem eſſe. I.

788. *I. circumflexus?* niger, abdomine falcato, antice flauo, pedibus poſticis nigro-geniculatis, ſcutello flauo. F. Sp. 437. 103?

Sphex nigra abdomine lineari petiolato, faſciis binis luteis. Scop. Del. Fl. et Fn. Inſ. faſc. 1. p. 58. t. 23.

Corpus imberbe, denſe, et minutiſſime punctatum. Caput fronte lutea, linea vtrinque inter oculos, et antennas pariter lutea, ore quoque luteo. Abdomen tenue, breuiter petiolatum extrorſum incraſſatum, dein ad apicem denuo conuergens. Pedes femoribus ſeminigris, tibiis luteis apice nigris. Alae hyalinae apice obſcuriores. Hab. in hortis frequens. Long. 6½ lin.

Banchi

Banchi ſpeciem Auctor deſcripſiſſe videtur. *Ophion circumflexus* Fabr. S. Piez. 133. 15. certe huc non ſpectat. I.

* 789. *I. Argiolus*, niger, capite thoraceque flauo-maculatis, abdominis ſegmentis margine flauis.

♀ *I. Argiolus* Oliv. Enc. meth. VII. 198. 172.

Antennae fuluae. Caput nigrum fronte, palpis orbitaque oculorum flauis. Thorax vndique flauo-maculatus maculis tribus poſticis maioribus. Abdomen ſubclauatum ſegmentis omnibus flauo-marginatis ſecundo et tertio vix interruptis. Aculeus breuiſſimus. Pedes ferruginei, femora poſtica baſi craſſa nigra flauo late maculata. Pedes poſtici longiſſimi. Alae hyalinae. Hab. in ſiluis rarus. Long. 5 lin.

Specimen beneuole nobiscum communicauit cel. Roſſi. Antennarum ſcapus niger ſubtus flauus. Pedum poſticorum coxa craſſiſſima ouata nigra flauo-maculata. Abdomen depreſſum ſubtus fornicatum. Alae anticae vt *Anomalis* Jurine. I.

(*p. 53.*)

******* *Minuti abdomine ouato, ſeſſili.*

Obſ. Maxima Minutorum pars Diplolepides Fabr. ſ. Cynipedes Latr. ſunt. Swederus eos iam pridem ſub *Pteromali* nomine diſtinxerat. At plura genera ſub eis latent. I.

790. *I. ſemiauratus*, auratus, abdomine ferrugineo, apice cyaneo. F. Mant. 269. 127.

♀ *Cleptes nitidula* Fabr. S. Piez. 354. 2.

Statura fere *Crab. clypeati.* Antennae craſſiuſculae, thorace breuiores, baſi et apice nigrae, medio

dio rufae, deflexae, et fere conuolutae articulo primo longiſſimo. Caput viridi-aeneum nitidum vertice ignito, et ocellis in triangulum poſitis impreſſo. Thorax glaber nitidus, ſubtus viridis, ſupra aeneus, lobo antico attenuato rotundato, aeneo-ignito. Abdomen ouatum, ſeſſile, petiolo breui, ruſum apice atrum. Pedes ruſi femoribus viridi-aeneis. Alae fuſceſcentes abdomine breuiores. Tab. VI. f. 1. 7. Hab. in ſilueſtribus rarus. Long. 3, lat. $\frac{2}{3}$ lin.

Sphex ſemiaurata Linn. ad *Cleptidem ſemiauratam* Fabr. S. Piez. ſpectans, et *Veſpa* Geoffr. Inſ. II. 384. 24. quae *Cleptidi auratae* noſtrae ſ. *Ichneumoni aurato* Panz Fn. Germ. 52. tab. 1. nec *Cleptidi ſemiauratae* Fabr. S. Piez. 154. 1. adſcribenda eſt, omittendae erant. Genus *Cleptes* ab acutiſſimo Latreille natura ipſa duce conditum, plures ſpecies comprehendere videtur, quae melius excludantur. Sic e nobis notis *Cleptes fulgens* Fabr. S. Piez. 155. 6. *Diplolepis* eſt. I.

791. *I. Bedeguaris*, viridis nitens, abdomine aureo. F. Sp. 438. 110.

Linn. Syſt. Nat. 939. 63. Fn. Sv. 1634.
Geoffr. Inſ. II. 296. 1.
De Geer Inſ. 2. 186. 10.
Roeſ. Inſ. 3. t. 53. f. F. H.
Reaum. Inſ. 3. t. 41. f. 13. 14.
♀ *Diplolepis Bedeguaris* Fabr. S. Piez. 150. 6.
Cynips Bedeguaris Latr. H. N. XIII. 225. 10.

Antennae nigrae cylindricae breues. Aculeus corpore longior. Pedes non incarnati, ſed flaui in noſtris. Alae aqueae immaculatae. Hab. in laruis gallarum Roſae, Quercus. Long. $1\frac{1}{2}$ lin.

Cyni-

Cynipes Fabricii Latreillio *Diplolepides*, et contra *Diplolepides* prioris eidem *Cynipes* audiunt; Fabricius Linnaeum auctorem ſuae *Cynipis* habet. I.

(p. 54)

* 792. *I. Atomos*, ater, abdomine ouato annulis indiſtincto, pedibus flauis.

♀ *Chelonus inanitus* Muſ. Hellw. Hoffm.
Ichneumon Oculator Roſſi Mant. 264.
Ichneumon Oculator Fabr S. Piez. 68. 81.
Ichneumon Geoffr. Inſ. II. 336. 33.
Ichn. binarius Oliv. Enc. VII. 209. 15.
Ichn. oculator Ibid. 190. 134.
Sigalphus oculator Latr. H. N. XIII. 188. 1.

Craſſiuſculus, ater totus praeter pedes, et palpos, qui flaui ſunt. Antennae corpore longiores. Abdomen punctulatum, ſubtus fornicatum integrum, hoc eſt annulis indiſtinctum. Aculeus longitudine corporis. Pedes flaui tibiis poſticis nigris. Mas differt abdominis baſi ferruginea. Hab. in hortis. Long. 2½ lin.

Feminae abdomen baſi biguttatum, aculeus abdomine breuior apice ſolo prominet, et e ventris carina media oritur, quam in Mare, cuius abdomen vnicolor nigrum eſt, fruſtra quaeris. Pedes nunc nigricantes, tibiis anticis cum genu, poſticis baſi rufeſcentibus, nunc toti nigri ſunt. *Ichn. ſcabrator* Fabr. Ent. 2. 134. 167. maris nec feminae varietas eſt, colore pedum minus recte deſcripto. I.

793. *I. Laruarum*, auratus, viridis, abdomine nigro, macula dorſali purpuraſcente, pedibus flauis. F. Sp. 439. 114.

Linn. Syſt. Nat. 939. 67. Fn. Sv. 1637.
Reaum. Inſ. 2. tab. 36. fig. 9. 10. 11.
De Geer Inſ. 2. 2. 194. 14. tab. 31. fig. 6. 7.

♀ *Di-*

Diplolepis Laruarum nob.
Cynips Laruarum Latr. H. N. XIII. 223. 5.
Cleptes Laruarum Fabr. S. Piez. 126. 8.
Deſcriptio Linnaei optima. Prodierunt mihi innumeri e pupa phalaenae d. 11. Apr. Long. 5 l.

* 794. *I. obſcurus*, fuſcus, capite, abdominisque apice nigris. Geoffr. Inſ. 2. 333. 26.
♀ *I. obſcurus* Oliv. Enc. meth. VII. 208. 10.
Excluſum habui ſaepius e folliculo albo ſerico nigro-maculato, magnitudine Dolichi minoris vnguiculati. Folliculus introſpectus exhibuit membranam atram, lucidam, gummoſam, obductam tenui filo ſerico albo. Folliculi inueniuntur frequenter inhaerentes foliis plantarum. Long. 2½ lin.

(p. 55.)

795. *I. conicus*, niger, abdomine conico acutiſſimo, femoribus clauatis ferrugineis. F. Sp. 439. 119.
♀ *Diapria conica* Latr. H. N. XIII. 231. 2.?
Chalcis conica Fabr. S. Piez. 167. 33.
Totus ater, femoribus ſolis ferrugineis. In noſtris ſpeciminibus alae maculis duabus fuſcis diſtinctis. Hab. ruri. Long. 1½ lin.

796. *I. ſecalis*, niger, capite rufo, oculis viridibus. F. Sp. 439. 117.
Linn. Syſt. Nat. 939. 70. Fn. Sv. 1641.
♀ *Diplolepis ſecalis* Fabr. S. Piez. 152. 19.
Caput rufum. Oculi virides. Antennae nigrae longitudine corporis ouati, nigri, laeuis. Hab. in laruis ſpicarum Secalis. Long. 1½ lin.

797. *I. globatus;* niger, pedibus ferrugineis. F. Sp. 439. 120.

Linn. Syſt. Nat. 940. 74. Fn. Sv. 1647.
Geoffr. Inſ. 2. 320. 1.
Reaum. Inſ. 2. t. 35. f. 5. 6.
♀ *Microgaſter globatus* Latr. H. N. XIII. 189. 1.
Cryptus globatus Fabr. S. Piez. 89. 88.

Hab. intra folliculum communem bombycinum ſubrotundum, album. (*) Long. 2 lin.

Eidem *Microgaſtris* generi celeb. Latreille *Ceropalem ſeſſilem* Fabr. et eiusdem *Ichneumonem deprimatorem* annumerat. I.

(p. 56.)

CXV. EVANIA.

Palpi poſtici incurui. *Labium* breue, conicum, integrum. *Antennae* filiformes.

Obſ. Ab *Evaniis* Specier. Fabric. plures tandem ſeparatae ſunt ſpecies, quas inuita natura olim illis coniunxerant; *Maculatam, Hiſtrionem, Punctum, Variegatam,* omni iure *Pompilis* Fabr. annumerandas, celeberrimi Latreille et Fabricius nouo genere *Ceropales* diſtinxere. *Euania petiolata* Fabr. ob antennas ſubclauatas et alas anticas baſi ſola neruoſas peculiare genus ſibi poſcit, quod *Hyptiam* voco. *E. minuta*, cui ſecundum Olivier Enc. meth. VI. 453. 4., alae eaedem ſunt, mihi ignota eſt. I.

*) In hoc genere alter ſexus admodum variare videtur, vnde nimia nominum multiplicatio et ſpecierum confuſio maxima, nonniſi pluribus comparatis obſeruationibus remouenda. Annot. Auct.

798. *E. Appendigaſter*, atra, abdomine petiolato, breuiſſimo, dorſo thoracis impoſito. F. Sp. 442. I.

Sphex Appendigaſter Linn. Syſt. Nat. 943. 12.
Reaum. Inſ. 6. t. 31. f. 13.
♀ I. *E. Appendigaſter* Fabr. S. Piez. 178. I.
Olivier Enc. meth. VI. 453. I.
Sphex Appendigaſter Villers Ent. 3. 121. 5. tab. 8. fig. I.
II. *E. fuſcipes* Muſ. Hellw. Hoffm.
E. Appendigaſter Jurine Hymen. tab. 7.
E. Appendigaſter Panz. Fn. Germ. 62. tab. 12.
E. Appendigaſter Latr. H. N. XIII. 193. I.

Variat articulo primo antennarum interdum longiſſimo. Hab. apud nos frequens, intrat etiam domos, et ad feneſtras ſaepius capta. Long. 3 lin.

Tres ſpecies ſimillimae ſub *Appendigaſtris* nomine confunduntur, duae Europae auſtralioris, vna Americana. Poſtremam celeb. Olivier *E. laeuigatae* nomine diſtinxit Enc. l. c. 2. a Brown Iamaic. tab. 44. fig. 6. depictam, et, vt videtur, a De Geer III. 594. I. deſcriptam. Antennarum ſcapo caput longitudine fere aequante, antennis verſus apicem ſubincraſſatis, abdomine feminae maiore, triangulari, oblique truncato, ſuperius aculeum breuiſſimum exſerente eam diſtinguas. Contra e Braſilia Euania Comiti ab Hoffmansegg miſſa eſt, quam ab *Appendigaſtre* diſtinguere neſcio. Non omnis itaque Americana Appendigaſtri ſimilis ſpecies Olivierii *Laeuigata* eſt. Europaearum altera antennis pedibusque nigris, antennarum ſcapo elongato, abdominisque petiolo laeui inſignis, noſtra I, Linnaei vero *Sphex appendigaſter* et eadem eſt, quam Roſſi ſub varietate articulo primo antennarum longiſſimo indicat. Alteram ſ. noſtram *Fu-*

ſcipedem Jurine et Panzer ll. cc. depinxere, Latreille deſcripſit. Cui antennae brunneae ſcapo extrorſum incraſſato breuiore, pedes nigricantes, tibiis tarſisque anteriorum fuſcis, petiolus abdominis aciculatus eſt. I.

799. *E. maculata*, thorace maculato, abdominis primo ſegmento punctis duobus, ſecundo margine albis F. Sp. 442. 2.

♀ *Pompilus frontalis* Panz. Fn. Germ. 72. tab. 9.
Ceropales maculata Fabr. S. Piez. 185. 1.
Ichneumon Geoffr. Inſ. II. 336. 35.
Ichneumon multicolor Fourcr. Ent. Par. II. 404. 35.
Ichn. multicolor Oliv. Enc. VII. 209. 17.

Fabricii deſcriptio omnibus exacte conuenit cum noſtra; Punctum tamen alterum album iacet non in baſi femorum poſticorum, ſed reuera in latere abdominis angulato. Capta in horto ad flores Foeniculi dulcis d. 25. Iul. Long. 3½ lin.

Variat hypoſtomate albido. I.

(p. 57)

* 800. *E. albicincta*, thorace maculato, abdominis ſegmentis omnibus albo-marginatis.

♀ *Pompilus Hiſtrio* Muſ. Hellw. Hoffmansegg.
Ceropales Hiſtrio Fabr. S. Piez. 186. 3.

Statura omnino *E. maculatae*, ſed paulo maior. Antennae porrectae nigrae ſubtus rufae, baſi nigra, inferne albo-punctata. Caput nigrum, ore lineaque inter oculos alba. Thorax eleuatus, gibbus, niger; margine antico, in medio dorſi, et ante alas puncto, binis loco ſcutelli, alteroque vtrinque ad latera poſtica albis. Abdomen breue conicum nigrum ſegmentis omnibus albo-marginatis. Pedes primi, et ſecundi paris toti rufi: poſtici

poſtici elongati femoribus, tibiisque baſi rufis, tarſis longis fuſcis. Femorum omnium patellae, ſeu baſis craſſa, compreſſa nigra, albo-maculata. Alae hyalinae. "Variat magnitudine duplo minori et corpore nunc albo nunc luteo maculato." (App. Em. p. 135.) Tab. VI. f. 8. Hab. in ſiluis ad Paſtinacae flores menſ. Iul. Long. $3\frac{1}{3}$ lin.

Lineola albicans ſ. flaua pone oculos. Thorax puncto vtrinque in angulo antico. Margo albidus ſegmentorum dorſalium ad latera paullo dilatatur. Pedum anteriorum tibiae exterius eorumque tarſi baſi flauicant. Specimen a cel. Roſſi ipſo communicatum eſt. I.

* 801. *E.? Ediogaſter*, nigra, thorace antice rubro, poſtice vnidentato, abdomine petiolato breui fornicato.

♀ *Cynips Ediogaſter* Panz. Fn. Germ. 87. tab. 16.

Facies et habitus *E. Appendigaſtri.* Antennae filiformes nigrae, porrectae thorace longiores. Caput nigrum punctulatum. Oculi fuſci. Thorax in medio dorſi rubro-maculatus, ad apicem loco ſcutelli mucrone armatus. Abdomen atrum nitens breue ſupra rotundatum, ſubtus fornicatum lateribus dilatatis foliaceis, conuergentibus diaphanis. Pedes rubri femoribus, plantisque poſticis nigris. Alae hyalinae nigra anaſtomoſi. Aculeus ſub fornice abſconditus, et caput verſus reflexus. De genere adhuc haereo; forte *Cynips* aut *Ichneumon.* (App. Em. p. 136.) Capta in Citro medica menſ. Iun. Long. 2 lin. vix.

CXVI.

(p. 58.)

CXVI. CHALCIS.

Obſ. Chalcides omnes femoribus poſticis valde incraſſatis, compreſſis gaudent, nec ipſis adiungendae ſunt, quae femora ſimplicia gerunt. Quam ob cauſſam plures Fabricianae Chalcides Diplolepidibus adſociamus. I.

Palpi quatuor aequales. *Antennae* breues, cylindricae fere fuſiformes, articulo primo ſubcraſſiori.

802. *C. Siſpes*, nigra, abdominis petiolo, femoribusque poſticis incraſſatis, flauis. F. Mant. 272. 1.

♀ *C. Siſpes* Roſſi Append. 116. 98.
C. femorata Panz. Fn. Germ. 84. tab. 16.
C. flauipes ibid. 77. tab. 16.
Ch. flauipes Latr. H. N. XIII. 220. 4.

Hab. frequens in plantis hortorum parietibus proximis. Long. 2, 2½ lin.

In Appendice l. c. Auctor Chalcidem ſuam accurate deſcripſit, quae familiae abdomine ſeſſili eſt. In citatis e Panzeri Fauna non erraſſe puto. Geoffroy Veſpa 15 a Roſſio citata omittenda erat, vti *Sphex Myrifex* Sulzeri, vtroque citato ad *Siſpedem* Fabricii veram ſpectante, quam Hellwigius ab Auctore miſſam accepit, neſcio tamen, an Hetruriae indigenam. Caeterum a *Ch. Siſpede* Fabricii diſtinguenda eſt *Sphex fiſſipes* Linnaei, quam cum Hübnero in Naturforſcher XXIV. 56. 19. *Chalcidi clauipedi* Fabricii annumero. I.

803. *C. clauipes*, atra, femoribus poſticis incraſſatis, rufis. F. Mant. 272. 2.
Deſcriptio Fabricii.

♀ *Ch.*

♀ *Ch. rufitarſis* abdomine ſeſſili nigra femoribus poſticis bidentatis tarſisque omnibus rufis. Muſ. Hellw. Hoffm.

Ch. Dargelaſii Latr. H. N. XIII. 221. 6?

Hab. cum praecedente.

Specimen ab Auctore communicatum monebat, eius *Clauipedem* a Fabricii *Clauipede*, cuius deſcriptionem ſuam fecit, non ſolum ſpecie, ſed familia quoque diuerſam eſſe, haec enim abdominis petiolo ſatis longo inſtructa; Roſſiana contra ſpecies, quam *Rufitarſem* vocamus, abdomine ſeſſili eſt. Haec ſtaturam et habitum fere *Ch. minutae* habet, tota nigra et pubeſcens eſt, pedes anteriores nigri ſunt, geniculis et tarſis rufis, poſteriorum pedum nigrorum tarſi et femora lenticularia rufa ſunt, margine inferiore acuto bidenticulata: denticulo altero in medio, altero ſub apicem, margine ſummo inter denticulos nigro. Alae hyalinae neruo coſtali teſtaceo. I.

804. *C. minuta*, atra, femoribus poſticis incraſſatis apice flauis. F. Mant. 272. 3.

Deſcriptio Fabricii.

♀ *Ch. minuta* Fabr. S. Piez. 165. 23.

Variet. pedibus rufis genubus flauicantibus.

Ch. rufipes Roſſi Append. 99.

Hab. cum praecedente.

Tibiae ſemper medio, nec, vt Fabricius ait, apice nigrae ſunt. Reliqua deſcriptio in eam ſpeciem cadit, quam omnes Auctores *Minutam* habent. *Ch. annulata* Fabricii, quam *Minutam* Panzeri putauere, pluribus differt. I.

(*p. 59.*)

805. *C. podagrica*, nigra, femoribus incraſſatis ſerratis ferrugineis, macula apicis alba. F. Mant. 272. 5.

♀ *Ch. podagrica* Fabr. S. Piez. 166. 24?
Deſcripta a Fabricio l. c. Hab. cum praecedente.

Ch. podagrica Fabricii et Hübneri ex India orientali oriunda dicitur, dubia itaque eſt. *Chalcidis minutae* varietatem rufipedem niſi Auctor in Appendice ſub nouo nomine deſcripſiſſet, eam hanc ipſius *Podagricam* libenter crederem. I.

806. *C. aenea*, glabra, nitens, thorace aeneo-punctato, abdomine breui, atro-coeruleo, pedibus rufis.

♀ *Diplolepis italica* Fabr. S. Piez. 149. 3.
Facies *Chalcidis*, habitatio eadem, antennae huius generis. Caput atrum. Antennae atrae, thorace breuiores, porrectae, extrorſum paullo craſſiores. Thorax eleuatus, magnus, valde gibbus, aeneus, ſcaber, punctatus, inermis, ſcutello prominulo obtuſo. Abdomen breue, atro-aeneum, nitidum, pone compreſſum, ano acuminato edentato. Femora atra. Tibiae ſubrufae. Alae hyalinae. Hab. in foliis Citri medicae ad muros. Long. 1½, 2 lin.

Cel. Fabricius *Chalcidem aeneam* Roſſi ad *Ch. aeneam* ſuam S. Piez. 166. 27. allegat, eamque ab Auctore ipſo communicatam refert. Specimina noſtra a Roſſio ipſo quoque miſſa et deſcriptioni eius exacte correſpondentia cum Fabricii deſcriptione non congruunt, et praeſertim femoribus poſticis ſimplicibus diſcrepant. Aut Roſſi, aut Fabricius nomine errauit. *Ch. aenea* Auctoris Diplolepis eſt, *Dipl. violaceae* ſimillima, capite latiore et abdomine nigro diuerſa. *Diplolepis italica* Fabricii eadem eſſe videtur, pedes enim reuera magis nigricant, ac rufeſcunt, tibiae anticae totae, poſteriores baſi, tarſique omnes rutili, femora ſubaenea ſunt.

ſunt. Haec *Dipl. italica* non minus a noſtro Roſſio cum celeb. Boſc communicata erat. I.

807. *C. puſilla*, atra, nitida ſemoribus poſticis incraſſatis puncto apicis albo. F. Mant. 272. 6.
♀ *C. puſilla* Fabr. S. Piez. 167. 29?
Deſcribit eam Fabricius.
Haec et omnes praecedentes apud nos ſaepius occurrunt; *C. Siſpes* (*C. femorata* Panz.) omnium frequentiſſima, in locis iisdem eodemque tempore. Anne vere ſpecies omnes diſtinctae? Saepe inuentae etiam hieme ſub corticibus.

Ch. puſilla Fabricii e Tranquebaria, nec e Hala Saxonum oriunda eſt, vti Fabricius habet, cf. Hübn. Naturf. XXIV. 57. 21. Inde dubium noſtrum de citato Fabriciano. I.

(p. 60.)

CXVII. SPHEX.

Lingua inflexa trifida. *Labium* emarginatum, vtrinque ſeta inſtructum. *Antennae* filiformes.

Obſ. Sphegum genus, quale olim erat, in plura genera a Fabricio adoptata diſtinctum eſt, *Sphex*, *Chlorion*, *Pepſis*, *Pelopoeus*, *Pompilus*, *Salius*, *Dryinus*, *Trypoxylon*, *Liris*. Ex his *Chlorion* et *Pelopoeum* cum *Pepſide* coniungimus; *Pepſidis* familiam ſecundam abdomine ſeſſili *Pompilis* addimus, quibus inſuper *Salius* et *Ceropales* iungendi ſunt. Contra a *Trypoxulo* et *Pelopoeo* *Pſenem*, a *Pompilo* *Dinetum* (*Larrae* ſpecies apud Latreillium) a *Liride*, quae *Larra* audit Latreillio, *Lyropem* (*Larram* Jurine) cum Jurine diſtinguimus. Cui poſtremo *Lyropis* generi *Andrena Etruſca*

Roſſii

Roſſii annumeranda eſt. *Dimorpha* Jurine ſ. *Aſtata* Latreille, illis ſimilis, at diſtincta eſt. I.

* *Abdomine petiolato.*

808. *S. ſabuloſa*, nigra, hirta, abdominis petiolo biarticulato, ſegmento ſecundo tertioque ferrugineis. F. Sp. 442. 1.

Linn. Syſt. Nat. 941. 1. Fn. Sv. 1648.
De Geer Inſ. 2. 2. 822. 5. t. 28. f. 7.
Geoffr. Inſ. 2. 349. 63.
Scop. Ent. Carn. 770.
Schaeff. Icon. t. 83. f. 1.
♀ *Sphex ſabuloſa* Fabr. S. Piez. 205. 1.
Sphex dimidiata Chriſt. Hymen. 313. tab. 31. fig. 4.
Mas: *Pepſis lutaria* Fabr. S. Piez. 208. 2.

In limo arenoſo fodit cuniculum, occidit laruam Phalaenae, vel Araneam, attrahit, ſepelit, et impoſito ouo obturat. Linn. et De Geer l. c. Variat admodum magnitudine. Long. 9, 13, 15, 16 lin. Inter mea ſpecimina tria vel quatuor etiam poſſideo inſolitae magnitudinis, hoc eſt longa 16 lineas, quorum vnum habet labium ſuperius porrectum, acuminatum, reflexum, et mucronem validum nigrum ante illud poſitum. Mas. Fere in omnibus pars antica capitis et latera thoracis tomento cinereo pubeſcunt, quod in nonnullis deeſt, aetate et attritu fortaſſe pereſum praeſertim in capite. Datur etiam varietas minor, quae a communi differt primis abdominis ſegmentis in dorſo nigro-lineatis, et pedibus quatuor anticis interdum rufis; nota quae iuxta Linnaeum mares diſtinguit. Haec habitat etiam in hortis; altera vero eximiae magnitudinis

nis inuenta tantum in campis ſabuloſis Piſani nemoris.

Mas abdominis ſegmentis ſex, antennarum articulis tredecim, Femina ſegmentis dorſalibus quinque, articulis antennarum duodecim differt; vtrique petiolus biarticulatus, at Mari inſuper hypoſtoma anguſtius, argenteo-pubeſcens eſt. Quam ob cauſſam cel. Fabricius Marem ſ. *Lutariam* Pepſidibus annumerauerit, neſcio. Segmenta rufa Maſculi interdum lineolam dorſalem nigram gerunt, at pedes conſtanter nigri ſunt. Quae enim varietas minor pedibus anterioribus rufis putatur ab Auctore, peculiaris ſpecies eſt, cuius vtrumque ſexum e Luſitania et Neapoli accepimus, antennis ſegmentis dorſalibus, fronteque eodem modo, quo *Sabuloſae* ſexus, diſtinctum. Pectore, pleuris, metathoraceque, dorſo eiusdem excepto, totis argenteo-pubeſcentibus; tegulis, pedibus anterioribus, tibiarumque poſticarum baſi, tarſisque poſticis rufis, abdominis ſegmentis tribus dorſalibus, omnibus ventris rufis in Femina; ſegmento ſecundo toto, tertio interdum lateribus rufo in Mare ſatis differt a *S. ſabuloſa*. Fabricius eam ſub *Sph. holoſericeae* nomine deſcripſiſſe videtur S. Piez. 207. 4. Coqueb. Ill. II. 50. tab. 12. fig. 1. Varietas Roſſio ſic dicta maxima labio porrecto, peculiaris ſpecies eſt in Appendicis tabula 6. fig. A. B. depicta, cuius ſpecimen miſit cel. Roſſi. Clypeo in angulum horizontalem porrecto, mucroneque medii clypei porrecto acuto, petioli articulo ſecundo nigro breuiore infundibuliformi, in abdomen ipſum quaſi continuato, ſegmentis duobus primis dorſi ſolis rufis; antico margin laterali nigro, ventris ſegmentis quatuor rufis, pedibus omnibus nigris, cinereo-micantibus ſatis inſignis ſpecies, cui *Sph. armatae* nomen dedi. Femina, quae

mare

mare ſuo maior putanda eſt, adhuc latet. Caeterum omnes Spheges abdominis petiolo biarticulato verae pro ſexu hypoſtoma longius et anguſtius antennas tredecimarticulatas, ſegmenta dorſalia ſex (Mares) aut hypoſtoma breuius ac latius, antennas duodecimarticulatas, ſegmenta dorſalia quinque (Feminae) habent. I.

809. *S. arenaria*, nigra, hirta abdominis petiolo vniarticulato, ſegmento ſecundo tertioque rufis, alis longitudine corporis. F. Mant. 273. 2.

Sphex hirſuta Scop. Ent. Carn. 772. Schrank. En. 769.

♀ *Pepſis arenaria* Fabr. S. Piez. 207. 1.

De Geer Inſ. II. 153. 6. tab. 28. fig. 16.

Sphex arenaria Latr. H. N. XIII. 293. 2.

Caput et thorax hiſpida. Abdominis petiolus niger lineam longus. Femora piloſa. Tibiae ſpinoſae. Alae apice fuſco-violaceae. Hab. in arenoſis. Long. 8½ lin.

Cel. Latreille l. c. *Sphegem viaticam* Linnaei hanc *P. arenariam* et *Sph. fuſcam* Linnaei *Pompilum viaticum* Fabr. credit, cui aſſentire nequeo. Deſcriptiones Fn. Suecicae eum ſine dubio fefellerunt. Mihi nempe perſuaſum eſt, deſcriptionem 1651 ad ſequentem *Sph. fuſcam* et vice verſa, deſcriptionem 1652 ad *Sph. viaticam* n. 1651 pertinere. Citato e Fn. ed. 1. 977 ad *Fuſcam* translato. et in deſcriptione 1652 "ſimillima *Sph fuſcae*" pro ſimillima *Sph. viaticae* et in fine "*fuſca* pro *viatica*" poſito omnia cum differentiis ſpecificis optime quadrant, quae alias deſcriptionibus ſuis repugnant. Linnaeus praeterea vtramque ſpeciem Sphegibus abdomine ſeſſili annumerat, Pompilos deſcribens. Cf. 813 *S. fuſca.* I.

(p. 61.)

810. *S. figulus?* laeuis, atra abdomine petiolato, labio ſegmentorumque marginibus lucidis. F. Sp. 444. 10.

Linn. Syſt. Nat. 942. 11. Fn. Sv. 1650.

♀ *Trypoxylon Figulus* Fabr. S. Piez. 181. 2.

Apius Figulus Jurine Hymen. tab. 9.

Sphex Leucoſtoma Schrank. Enum. Auſtr. 771.

Alae abdomine breuiores. Nidulatur ſingulis annis copioſa in foraminibus antiquae ianuae horti a laruis *Anobii pertinacis* fortaſſe terebratis, et relictis. Long. 2, 3 lin.

E genere maxime naturali *Trypoxyli* excludantur *Tr. atratum* Fabr. S. Piez. 182. 5, et eiusdem *Equeſtre* 6, quod idem eſt cum *Pſene bicolore* Jurine Hymen. t. 13. f. *Pſene rufa* Panz. Fn. Germ. 96. tab. 1.; cum *Pelopoeo vnicolore* Fabr. S. Piez. 204. 10. (vbi *Sphex vnicolor* Panz. Fn. Germ. 52. 14. ad *Pemphredinem lugubrem* Fabricii ſpectans, delendus eſt) et *Compreſſicorni* 11. qui idem eſt cum *Pſene ſerraticorni* Jurine Hymen. tab. 8. peculiare genus *Pſen*, a Latreillio et Jurine propoſitum, conficiunt. I.

811. *S. Spirifex*, atra, thorace hirto, immaculato, petiolo vniarticulato flauo longitudine abdominis. F. Sp. 445. 15.

Linn. Syſt. Nat. 942. 9.

♀ *Pepſis Spirifex* Muſ. Hellw. Hoffm.

Pelopoeus Spirifex Fabr. S. Piez. 202. 1.

β. Variat ſtatura minori, thorace maculato, lineola antica interrupta, altera ſub alis, ſcutello et poſt ſcutellum linea, maculaque magna quadrata dorſali ſupra baſin petioli flauis, alis ferrugineis: reliqua omnia vti in *Spirifice*. Forte noua ſpecies,

cies, aut mas *S. Spirificis*. Tab. II. f. 23. Hab. frequens in floribus vmbellatis. *α.* Saepe intrat domos, quaeritans quo aedificet nidum cellulis cylindricis argillaceis interne compoſitum. Long. 7, 9 lin.

Varietatem β. nondum vidi, eam diſtinctam ſpeciem coniicio. Mas *Spirificis* feminae ſimillimus antennis tredecimarticulatis, abdominis ſegmentis dorſalibus ſeptem differt ab ea, cui antennae duodecimarticulatae, abdominis dorſum ſegmentis ſex eſt.

Alia ſpecies maxime affinis in Italia occurrit, *Pepſis penſilis* Nob. cuius ſpecimina maſcula, hypoſtomate albo-lanato, ſcapo antennarum toto luteo, apice ſolo ſuperius fuſceſcente, tegulis alarum flauis, tarſisque poſticis quatuor baſalibus luteis differunt a Maſculo *Spirifice*, cui hypoſtoma nigro-pubeſcens, ſcapus ſubtus tantum obſcure luteſcens, tegulae fuſcae, tarſi poſtici duo baſales ſoli flaui ſunt. Femina illius tarſis quatuor flauis ſolis diuerſa videtur; at praecipuum vtriusque ſpeciei diſcrimen in eo eſt, quod ſcutelli regio *Spirificis* ſubtiliſſime ſtriata ſit, in *Penſili* omnibus ſtriis expers.

Tertiam ſpeciem Europaeam Muſeum Hellw. Hoffmanseggianum continet, quae ſcapo antennarum flauo, ſuperius ad latus fuſco, ſcutelli lineola transuerſa flaua, tarſis omnibus flauis, poſticorum vngue fuſco excepto, a *Spirifice* diuerſa, *Pepſis deſtillatoria* nobis audit. Ad eam pertinet *Sph. Spirifex* Panz. Fn. Germ. 75. t. 15. Sulz. Hiſt. Inſ. t. 27. fig. 2. et ab Auctore citata Schaeff. Ic. t. 38. fig. 1. — Reaum. Inſ. XI. tab. 28. fig. 5. quem Auctor cum aliis allegat, aperte *Pepſidem lunatam* ſ. *Pelopoeum lunatum* Fabr. deſcripſit. *Sphex aegyptia* Linnaei nulla varietas *Spirificis*, ſed eadem eſt. I.

* 812.

* 812. *S. paludoſa,* nigra, capite thoraceque cinereo hirtis petiolo vniarticulato nigro longitudine abdominis.

♀ *Pepſis paludoſa* Muſ. Hellw. Hoffm.

Statura *S. ſabuloſae.* Tota nigra. Antennae craſſiuſculae retortae longitudine thoracis. Caput, frons ſub antennis, thoraxque villis cinereis hirta. Petiolus niger vniarticulatus longitudine abdominis glabri, falcati, breuis vti in *S. Spirifice.* Femora omnia incraſſata. Alae ſubferrugineae apice fuſcae. Tab. I. f. 13. Hab. in locis arenoſis ſiluaticis rara. Long. 8½ lin.

Noſtrum ſpecimen femininum e Gallia meridionali allatum hypoſtoma argenteo-ſericeum cano-pubeſcens, abdominis ſegmenta baſi certa luce cinereo-micantia habet; Petiolus abdomine dimidio breuior eſt. I.

(p. 62.)

** *Abdomine ſeſſili.*

813. *S. fuſca,* glabra, atra, abdomine baſi ferrugineo. F. Sp. 447. 29.

Linn. Syſt. Nat. 944. 16. Fn. Sv. 1651. deſcriptio. Ray. Inſ. 254. 9.

♀ *Pompilus fuſcus* Fabr. S. Piez. 189. 11.

Hab. in ſabuletis. Long. 5 lin.

Hanc ſpeciem, quam non noui, *Pompilo gibbo* ſimilem coniicio. De Geerii Sphex n. 4. quam Auctor et alii citant, ad ſequentem pertinet; De Geerii Sphegem 6, quae *S. fuſca* Linnaei creditur, *Pepſidi arenariae* annumero. De Linnaeo conferantur quae *Arenariae* n. 809. adiecimus. Niſi Linnaeus *Sphegem fuſcam* ſuam illis abdomine non petiolato adiunxiſſet, libenter eam eandem *Arenariam* haberem. I.

814.

814. *S. viatica*, pubeſcens, nigra, alis fuſcis, abdomine antice ferrugineo cingulis nigris. F. Sp. 448. 40.

Linn. Syſt. Nat. 943. 15. Fn. Sv. 1652. deſcriptio.
Geoffr. Inſ. 2. 354. 74.
♀ *Pompilus viaticus* Fabr. S. Piez. 190. 12.
De Geer Inſ. II. 2. 147. 4. tab. 28. fig. 6.
Var. metathorace rubro.
Pompilus coccineus Fabr. S. Piez. 191. 18.

Hanc Scopoli confundit cum *S. fuſca*. Vnam ab altera tamen color magis ater, pubeſcentia minor, pars antica abdominis magis fulua, ſegmentis margine nigro cinctis, femora poſtica ſemirufa diſtinguere ſatis videntur. Hab. in arenoſis laruas impoſito ouo ſepeliens. Long. 5½ lin.

De Geerii Sphegem n. 6. quam citant, ad *Pepſidem arenariam* refero. Geoffroy l. c. *P. Viaticum* cum *Fuſco* aut *Gibbo* confundit. *Pompilus viaticus* variat ſegmentis dorſalibus anticis obſcure brunneis et abdomine interdum toto nigro; rarius femoribus poſticis dimidio apicali rubris (quam varietatem Roſſi habuit) et rariſſime metathorace rubro, ſegmentis dorſalibus duobus anticis rufis nigromarginatis; haec varietas eſt *Pompilus coccineus* Fabr.

(*p. 63.*)

* 815. *S. aterrima*, atra laeuis, abdominis ſegmento ſecundo, et tertio late flauo-faſciatis.

♀ *Pompilus aterrimus*. n.

Antennae nigrae articulis vndecim. Palpi praelongi. Caput nigrum, pubeſcens. Thorax ater. Abdomen ſeſſile atrum, nitidum ſegmento 2 et 3, dorſo tantum flauo late faſciatis vti in *S. bicincta*; ſed in hac faſciae non ſuperius, ſed inferius in medio

medio ſinuatae. Pedes nigri, tibiis apice acute biſpinoſis, poſticique elongati. Alae atro-coeruleae longitudine abdominis. Variat magnitudine. Tab. VI. f. 3. 4. Hab. in campis ſiluaticis ſabuloſis. Long. 5, 7½ lin.

Antennarum figura alarumque apex reliquae alae concolor niger in icone obſtant, quo minus hanc *S. aterrimam* Auctoris *Larram bifaſciatam* Fabr. S. Piez. 220. 6. habeam, cuius marem Fabricius ſub *Scoliae tridentatae* nomine S. Piez. 242. 22. exhibuit. I.

816. *S. gibba*, nigra, abdomine ferrugineo, apice fuſco, alis anticis apice fuſcis. F. Sp. 448. 34.

Scop. Ent. Carn. 783.

♀ *Pompilus gibbus* Fabr. S. Piez. 193. 27.

Alae hyalinae. Pedes nigri. Variat antennis abdomine breuioribus. Hab. in locis apricis. Long. 3⅔ lin.

Plura inſecta diuerſorum generum exſiſtunt nigra, abdomine antice ferrugineo, quae cum vero *Pompilo gibbo* Fabr. confunduntur. Linnaei *Sphex gibba* ſecundum ſpecimen genuinum in Muſeo immortalis Viri apud Anglum *Smith* aſſeruatum ex Apum tribu eſt, *Dichroa gibba* Illig. Magaz V. 49. 3. *Melitta Sphecoides* Kirby Mon. Ap. Angl. II. 46. 9. Fabricii *Pompilus gibbus* vero a celeb. Kirby ibidem citatus verus Pompilus, *P. viatico* ſatis affinis, et forte vera *Sphex fuſca* Linnaei eſt. I.

* 817. *S. fuliginoſa*, nigra, alis hyalinis apice fuſceſcentibus, ſpinis tibiarum rufis. Scop. Ent. Carn. 771.

Antennae thoracis longitudine. Abdomen ſubfalcatum teres, nitens apice obtuſo, petiolo ſubclauato. Hab. in floribus. Long. 3½ lin.

Scopoli l. c. addit: Caput anticis pilis ſubargenteis pubeſcens, eiusque deſcriptio in *Trypoxylon Figulum* ſatis bene cadit, quem Auctor vero ſupra nr. 810. diſtinxit. Quid eum impediit, quo minus hanc ſpeciem familiae primae abdomine petiolato inſtructae adderet? I.

(p. 64.)

818. *S. cingulata*, nigra, fronte, thoracis ſtriga antica, abdominisque ſegmentorum marginibus cinereis. F. Sp. 448. 31.

♀ *Pompilus pulcher* Fabr. S. Piez. 193. 27.

Sphex pulchra Coqueb. Ill. II. tab. 12. fig. 8.

Antennae nigrae. Caput nigrum fronte cineraſcente. Thorax niger ſtriga antica cinerea. Abdomen atrum marginibus ſegmentorum cinereis. Pedes atri. Alae fuſcae apicibus obſcurioribus. F. Hab. in floribus vmaellatis. Long. 4 lin.

Pompilus cingulatus Fabricii e Noua Hollandia allatus, alius eſt, et licet Roſſi deſcriptionem *Cingulati* a Fabricio datam ſuam fecerit, *P. pulchrum* Fabr. citans non erraſſe puto. Noſtra ſpecimina e Luſitania attulit Com. ab Hoffmansegg. Hypoſtoma canomicans, frons nigra, collare vndique canomarginatum, ſcutellum et metathorax poſtice margine canomicante; dorſi ſegmenta tria antica ſtriga marginali canomicante, duo dein ſequentia nigra vnicolora, ſextum canum. Pectus, coxae et tibiae poſticae certo ſitu canomicant. Venter ſtrigis tribus transuerſis interruptis canis. I.

819.

819. *S. nigra*, nigra, abdomine ſeſſili, ſegmentorum marginibus lucidis. F. Sp. 448. 32.

♀ *Pompilus niger* Fabr. S. Piez. 191. 15.

Nigra tota alarum apicibus fuſcis. Hab. in floribus. Long. 3½ lin.

Forſan Auctor *Pompilum atrum* n. *Sphegem nigram* Panz. Fn. Germ 71. tab. 19. habuit, qui abdomine toto nigro differt a *Nigro* Fabricii. I.

820. *S. exaltata*, nigra, abdomine rufo, apice atro, alis apice fuſcis, puncto albo. F. Sp. 449. 42.

♀ *Pompilus variegatus* Muſ. Hellw. Hoffm.

I. Variet. abdomine antice rufo.

Pompilus exaltátus Fabr. S. Piez. 195. 41.

Sphex gibba Scop. Ent. Carn. 786.

II. Variet. abdomine toto nigro.

Pompilus hircanus Fabr. S. Piez. 87. tab. 1.

Sphex variegata Linn. Syſt. Nat. 944. 18. Fn. Sv. 1655.

Deſcribit eam Fabricius. Hab. in ſilueſtribus. Long. 5 lin.

* 821. *S. variabilis*, atra, abdomine ſubſeſſili ſegmentis ſecundo et tertio punctis duobus albis.

♀ *Pompilus variabilis* Muſ. Hellw. Hoffm.

I. Variet. ſtrigis quatuor capitis ad oculos, ſtrigis duabus collaris, puncto ſcutellari, guttisque ſex dorſi flauicantibus, pedibus nigris.

II. Variet. ſimilis praecedenti, at tibiis baſi femoribusque pollicis rufis.

Pompilus decemguttatus Jurine Hymen. tab. 8.

III. Variet. punctis duobus capitis, guttis quinque dorſi flauicantibus, metathorace ferrugineo, pedibus nigris.

Atra. Antennae conuolutae articulis vndecim. Caput fronte magis nitente, labio ſuperiori porrecto. Thorax immaculatus. Abdomen glabrum, nitidum, apice piloſo, ſegmentis 2 et 3 albo, vel flauo punctatis, lineaque poſtica breui in medio quarti ſegmenti quandoque interrupta. Pedes nigri tibiis poſticis latere duplicato denticulatis. Variat nunc tertio ſegmento immaculato, femoribus poſticis rufis; nunc tibiis poſticis albo-maculatis; nunc denique pedibus totis nigris. Alae ſubhyalinae apice fuſco. Thorax in nonnullis albo-punctatus. An. *S. rufipes* F. Sp. 449. 40. quae admodum variare videtur. *S. verſicolor* Scop. Carn. 783. forte huc referenda. "Haec noſtra Sphex, quam ob maximam affinitatem coniunximus cum *S. rufipede* Fabr. et *verſicolore* Scop. gaudet plerumque tarſis anticis extrorſum valde ciliatis, quae nota communis etiam *S. pectinipedi* ac *rufipedi* diſtinctio ſexus videtur." Ap. Em. 136. Saepe lecta in floribus Foeniculi dulcis et Paſtinacae. Long. 4, 5¼ lin.

Noſtra ſpecimina ſexu feminina ex Algaruia oriunda, varietatis I. et III. ſunt; varietatem II, licet nondum mihi viſa ſit, nihilominus attuli. Metathorax ſubtiliter at manifeſto transuerſim ſtriatus hanc ſpeciem a ſimillimis *Pompilo bipunctato* et *variegato* Fabr. diſtinguit, quibus metathorax ita ſubtiliſſime transuerſim aciculatus eſt, vt oculo fortiter armato ſoli appareat. Deſcriptio Varietatis ab Auctore data in *Pompilum bipunctatum* cadere videtur, cuius varietatem *P. variegatum* Fabr. habeo. *Pomp. rufipes* Fabr. alia ſpecies eſt, metathorace laeui, canopubeſcente, tarſis anticis exte-

exterius pectinatis, quos in ſpecimine obſeruo, quod ob antennas duodecimarticulatas, abdominis figuram et ſegmenta dorſalia ſex, femininum credo. Specimen enim ſimillimi *P. variegati* Fabr. vidi, quod, antennis tredecimarticulatis, dorſique ſegmentis ſeptem a reliquis diuerſum, Mas habendum erat, tarſis anticis ſimplicibus Feminae ſuae ſimilis. Ex analogia mares *Variabilis* antennarum articulis ſegmentisque dorſalibus diuerſos conniicere licet. Scopoli *S. verſicolor P. bipunctatus* Fabr. videtur. I.

(p. 65)

* 822. *S. Anathema*. fuſco - nigra ſubpubeſcens alis violaceis, abdomine antice ferrugineo, ſegmentis ad latera lucidis.

♀ *Liris Anathema* Muſ. Hellw. Hoffm.

Antennae nigrae articulo primo longo craſſiori. Caput nigrum. Thorax vix pubeſcens, niger, immaculatus. Abdomen ſeſſile, glabrum oblongum, petiolo breui, nigro, ſegmentis primis duobus ferrugineis, reliquis nigris, et ad latera lucidis. Pedes nigri tarſis fuſcis. Alae ſubuiolaceae. Hab. ruri frequens. Long. 7, lat. 2 lin.

Inſectum Roſſianum, a quo *Larra Anathema* Coqueb. Illuſtr. II. 53. tab. 12. fig. 11. multo minor, differt, etiam in Luſitania occurrit. Segmentorum abdominis nitidi margines ad latera ſerico lucidi. Tegulae alarum fuliginoſarum obſcure violacearum nitidae rutilae. Femora craſſa. Antennae fractae, ſcapo medio incraſſato ſubtus caſtaneo. Frons depreſſa ſtemmate vnico inferiore, ſtemmatibus duobus ſuperioribus haud apparentibus. Metathorax, vt congeneribus, thoracem longitudine aequat, poſtice truncatus. I.

823.

823. *S. quadripunctata*, atra, antennis, thoracis ſtriga antica, ſcutello, punctis quatuor abdominis, aliſque ferrugineis. P. Mant. 278. 62.

♀ *Pompilus quadripunctatus* Muſ. Hellw. Hoffm.

Pepſis quadripunctata Fabr. S. Piez. 215. 39.

Pompilus octopunctatus Panz. Fn. Germ. 76. tab. 17.

Deſcribit eam Fabricius. Variat punctis abdominalibus ſex. F. Puncta in noſtris plerumque decem, ſed poſtica interdum ab annulis occultata. Hab. in ſiluis et hortis frequens. Long. 7, lat. 1½ lin.

Lunula flaua cornu verſus caput porrigens ante ſcutellum eſſe ſolet. Femorum apex tibiis concolor. Noſtra ſpecimina e Luſitania allata ſunt. I.

* 824. *S. 8maculata*, nigra, thorace immaculato, abdomine maculis octo flauis, tibiis mediis poſticiſque denticulatis.

♀ *Pompilus octomaculatus* Muſ. Hellw. Hoffm.

Statura et magnitudine accedit ad *S. 4punctatam* F., cui valde affinis, ſed diſtincta colore etiam minus atro. Antennae ſubferrugineae baſi nigrae. Caput nigrum ſtriga ante oculos, maculaque poſtica flauis. Thorax niger immaculatus. Abdomen nigrum maculis vtrinque quatuor flauis, primo ſegmento, et vltimo immaculato. Pedes ferruginei. Femora nigra. Tibiae mediae et poſticae ſerrulatae. Alae ferrugineae, apice vix fuſceſcentes. Differt praeſertim a *S. 4punctata* thorace immaculato, tibiis ſerrulatis, colore et magnitudine macularum, quae in hac maiores et albidae, prima rotundiori. Hab. in ſilueſtribus rara. Long. 7, lat. 1½ lin.

An-

Antennarum apex nigricat, ſcapus ſubtus fuſceſcit. In ſpecimine noſtro macula ſublutea, obſoletior ante ſcutellum poſita eſt, et maculae dorſales abdominis ſex tantum apparent. H. l. addere liceat, *Salios* Fabricii *Pompilis: quadripunctato*, *octomaculato*, *luteipenni* admodum affines eſſe, et ſolo thorace longiore, cylindrico, antice truncato, margine ibidem acuto, differre, quae thoracis forma ſenſim in illam Pompilorum affinium tranſit. Reliqua communia ſunt et *Salii* genus eam ob cauſſam *Pompilorum* generi inferendum. Luſitania quatuor ſpecies Salii alit, quarum vnam ſub *Vnicoloris* nomine deſcripſit Fabricius. I.

(p. 66.)

* 825. *S. concinna*, atra, thorace ſaturate rubro, abdomine medio flauo-faſciato.

Atra, glabra, nitens. Antennae conuolutae, baſi flauae thorace breuiores. Caput atrum. Thorax omnino ruber, loco ſcutelli macula magna atra triangulari in campo rubro impreſſa. Abdomen atrum ſubſeſſile, petiolo breui, faſcia vnica flaua in medio attenuata cinctum. Femora nigra tibiis anticis ſubrufis. Alae planae hyalinae apicem verſus nigro-maculatae. De genere dubito: *Craproni* proxima. Tab. VI. f. 5. Inueni inſidentem foliis Artemiſiae. Long. $3\frac{2}{3}$ lin.

In Appendice 116 haec *Sph. concinna Mutillae laeui* Latreillii adſociatur, cum qua peculiare genus componere videtur. Vtraque ſpecies mihi ignota. I.

* 826. *S. gibboſa*, nigra, abdomine, medio rufo, baſi, et apice nigro, antennis craſſis antice nodoſis.

Magni-

Magnitudo variat. Statura et habitu ſimilis *S. Gibbae.* Caput nigrum, tomento cineraſcente. Antennae nigrae craſſae porrectae, quae antice noduloſae apparent, poſtice laeues, et adeo articulatim compreſſae, vt etiam armato oculo exarticulatae videantur, thorace paullo longiores. Thorax ater, nitidus. Abdomen ſubſeſſile, ſegmento ſecundo et tertio ferrugineis. Pedes nigri tibiis antica parte albidis. Alae flauicantes. Aliae occurrunt ſimillimae abdomine toto rufo, et fere pellucido. Hab. in floribus. Long. 3 lin.

Anne *Dichroae* ſpecies? Mares earum antennis longioribus nodoſis ſunt, at articulis ſatis diſtinctis. *Dichroae monilicorni* Illig. Mag. V. 49. 4. *Melittae monilicorni* Kirby Mon. Ap. Angl. II. 47. 10. tab. 1. fig. 6. ſimilis videtur. Latreille idem genus nunc *Sphecodes* nuncupat. I.

(p. 67.)

* 827. *S. longicornis*, nigra, abdomine faſciis quatuor flauis, antennis longitudine corporis.

De genere dubito: forte *Crabro?* Alae planae. Pubeſcens; antennae nigrae, porrectae longitudine corporis, et omnino ſimiles antennis *Apis longicornis.* Caput nigrum labio flauo. Thorax niger margine antico, et puncto ante alas flauo. Abdomen nigrum faſciis tribus flauis. Maculae praeterea duae, vel potius faſcia vix interrupta in primo ſegmento ad baſin petioli. Femora nigra, tibiis antice flauis, poſtice nigris. Alae albae puncto marginali teſtaceo. Tab. VI. f. 9. Capta ruri menſ. Mai. Long. 4 lin.

CXVIII. TIPHIA.

Maxilla membranacea, rotunda. *Labium* breue, corneum, rotundatum, medio palpigerum. *Antennae* ſubpetiolatae.

Obſ. A Tiphiarum genere hinc ſcoliis, inde Mutillis affine, cel. Latreille *Myzinem* et *Bethylum* ſegregauit; Fabricius, Bethylum adoptans, Myzines Tiphiis immixtas reliquit. Caueas ne, Latreillio duce, *Elides* Fabricii cum Myzinis confundas, a quibus oculis ſinu emarginatis areolisque alarum differunt, *Hellis* Fabr. ſ. *Sapygis* Jur. Latr. multo magis ſimiles. Haec genera, ſub Tiphiis, quales olim erant, latuere, quae nomine ſuo indicare hic modo licet: I. *Tiphia*, cuius duae familiae exſiſtunt, altera: areola marginali poſtice aperta, quo *T. femorata* et *Morio* Fabr. pertinent, altera: areola eadem poſtice clauſa, quo *T. villoſa* Fabr. aliaeque nondum deſcriptae ſpectant. Quibus antennae longae rectae, aculeusque ani recuruus Elidum eſt. II. *Meria*, cuius typus eſt *Bethylus Latreillii* ſ. *Tiphia tripunctata* Roſſi et Latreille. III. *Myzine*, areola marginali a margine antico ſoluta, areolis intermediis tribus diſtincta a Tiphiis familiae primae. *Tiphia maculata* Fabr. huius generis eſt. IV. *Bethylus* Latreille, *Omalus* Jurine, areolis intermediis plane nullis, areolaque marginali magna diſtincta, cum *Meriae* marginalis nulla, intermediae fere tres ſint. — Oculi integerrimi Tiphias a Scoliis primo ſtatim intuitu diſtinguunt; *Tiphia* enim *collaris* Fabr. oculis emarginatis, vera Scolia eſt. I.

828. *T. femorata*, nigra, femoribus quatuor poſticis angulatis, rufis. F. Sp. 451. 1.
Sphex palmipes Schrank. Enum. 778.

♀ *Ti-*

♀ *Tiphia femorata* Fabr. S. Piez. 232. 1.
Tota nigra; ſaepius piloſa, etiam abdomine. Femora breuia, compreſſa, angulata, praeſertim poſtica quatuor. Femora tibiaeque pedum quatuor poſticorum teſtacea plantis fuſcis. Petiolus quo abdomini annectitur nonnihil gibbus, et craſſus. Alae ferrugineae breues. "Variat pedibus nigris: ſcilicet tota nigra vnicolor." Ap. p. 136. Hab. ruri frequens. Long. 3, 5 lin.

Varietas tota nigra in Appendice commemorata *Tiphia Morio* Fabr. S. Piez. 235. 21., *T. villoſa* Latreille H. N. XIII. 267. 2. videtur. *Tiphia villoſa* Fabricii ab ea differt. I.

(p. 68)

829. *T. Ephippium?* nigra, thorace macula dorſali rufa. F. Sp. 451. 5.
Atra, thorace antice rufo, abdomine pilis albidis lucidis cincto. Statura fere praecedentis. Nigra, piloſa. Antennae longitudine thoracis. Thorax antice protractus, mucrone caput recipiente, in medio macula quadrata rufa, poſtice punctulatus. Abdomen ſubſeſſile apice attenuatum, et pilis canis lucidis vndique cinctum, praeſertim in annulis mediis. Alae hyalinae, apice fuſceſcentes. Ad *Mutillas* accedit: mihi tamen *Tiphia.* Hab. in ſiluis ad flores. Long. 3¼ lin.

Fabricii *Tiphia* diuerſa videtur, Americae indigena. I.

* 830. *T. ſtridula*, nigra, piloſa, abdomine ſubſeſſili baſi rufo, apice nigro, ſegmentis duobus pilis albis ciliato.

♀ *Mutilla pedemontana* Fabr. S. Piez. 434. 29.
Panz. Fn. Germ. 62. tab. 19.
Mutilla ſtridula Roſſi Mant. 332.

Tota

Tota hirſuta pilis albis. Antennae longitudine thoracis craſſiuſculae, nigrae, quas vti *Ichneumones* ſemper agitat. Caput nigrum. Thorax niger ſtriga antica cinerea obſoleta. Abdominis petiolus niger. Segmentum primum maius, rufum margine nigro, reliqua nigra, tertium et quartum pilis albidis ſuperne ciliata. Anus acuminatus aculeis duobus ſubrecuruis reconditis, quibus ſtrenue ad feriendum vtitur. Pedes nigri. Alae atro-coeruleae nitentes apice minus nitido. Acu transfixa alioue modo torta ſtridet atterendo primum abdominis ſegmentum cum poſteriori, quod ob vniuerſalem et continuatam artuum agitationem, niſi poſt longum examen cognòſcere datum eſt nobis; ſed euidens: impedito enim quomodocunque abdominis motu, ſtatim ſtridor omnis ceſſat. Ad *Mutillas* forte amandanda. Tab. VI. f. 2. Hab. in ſiluis frequens. Long. 6 lin.

Noſtra ſpecimina a cel. Auctore ipſa communicata ſunt, excepto vnico multo grandiore ex Algaruia Luſitaniae allato. I.

(p. 69.)

* 831. *T. tripunctata*, nigra, thoracis lobo antico rufo, abdomine rufo, apice atro, punctis vtrinque tribus albis.

♀ *Meria Latreillii* Muſ. Hellw. Hoffm.

Bethylus Latreillii Fabr. S. Piez. 237. 4.

Tiphia tripunctata Panz. Fn. Germ. 47. tab. 20.

Tiphia tripunctata Latr. H N. XIII. 268. 3.

Statura *T. femoratae*. Subpiloſa. Antennae filiformes, breues, nigrae. Caput atrum nitens, maxillis tantum rufis. Thorax lobo antico rufo nitido, glabro, poſtice niger. Abdomen oblongum niti-

nitidum, antice rufum, poſtice atrum, punctis tribus albis lateralibus. Femora quatuor poſtica compreſſa, angulata, breuia, nigra. Tibiae nigrae. Tarſi ſubrufi. Alae vix fuſceſcentes, puncto nigro marginali. Tab. VI. f. 10. Hab. in ſiluis ad flores menſ. Iul. Long. 4 lin.

Nec non Luſitaniae indigena eſt. I.

CXIX. SCOLIA.

Os lingua breui inflexa trifida. *Labium* porrectum, apice membranaceum integrum, medio palpigerum. *Antennae* ſubpetiolatae.

Obſ. Scoliae oculis interius profunde emarginatis inter ſimiles inſignes, nunc in tria genera vere naturalia diſtinguuntur: *Scolia*, *Elis* et *Hellus* ſ. *Sapyga* Jurine, Latreille, Klug. Elides Fabr. cum Myzine a cel. Latreillio inuita natura coniunctas eſſe, ſupra iam monuimus. Scolias ex alarum areolis in duas ſeparare poſſumus familias, quarum prioris areola marginalis et areola intermedia poſterior neruo transuerſo bipartitae ſunt, e. c. in *Sc. Hortorum* et maxima ſpecierum parte; poſterioris, cuius eſt *Ciliata* Fabr., *Bicincta* Roſſi et plures, areolae et marginalis et intermedia poſterior ſimplices. Scoliae maſculae vtriusque familiae capite minore, antennis longioribus rectis: articulis tredecim obſoletis; ſegmentis dorſalibus ſeptem, ano triſpinoſo gaudent; feminis caput grandius, latius, antennae conuolutae breuiores articulis duodecim magis diſtinctis, ſegmenta dorſalia ſex, anus inermis eſt. Quae differentia ſexus, quam ante decem annos iam proponere in animo erat, nunc experientia euicta pluribus tamen

men Auctoribus adhuc latet. In *Hello* ſ. *Sapyga* antennas maris itidem tredecimarticulatas, dorſumque abdominis ſeptemarticulatum obſeruo, anum vero inermem in Mare, antennasque eiusdem formae in vtroque ſexu. Articulus decimus tertius maſculis quaſi acumen paruum apici antennae ſuperimpoſitus eſt. At Elidum ſexus nondum patet. Omnia indiuidua mihi hucusque viſa ex antennis rectis tredecimarticulatis (articulo ſecundo priori ſ. ſcapo immerſo) e dorſi ſegmentis ſeptem, e ſegmento anali pro receptione aculei recurui aſcendentis bifurcato, Mares puto, quorum Feminas ne coniectura quidem aſſequi valeo. Scoliae enim plures, quae feminas earum coniecturare malles, alarum areolis discrepant, quae numquam pro ſexu variant. Myzinarum ne mares credantur, non ſolum alae, ſed oculi quoque prohibent. I.

832. *S. flauifrons*, atra, fronte flaua, abdomine maculis quatuor flauis. F. Sp. 452. 5.

Sphex bidens Sulz. Hiſt. Inſ. t. 27. f. 3. Hanc diuerſam eſſe credit Scopoli.

♀ *Sc. Hortorum femina* Muſ. Hellw. Hoffm.

Sc. flauifrons Roſſi Mant. 285.

Sc. flauifrons Fabr. S. Piez. 240. 7.

Sphex flauifrons Villers Ent. 3. 239. 50. tab. 8. fig. 13. 14.

Corpus totum pilis nigris hirtum. Antennae breues, nigrae. Caput magnum, fronte flaua, macula media ſubtrilobo nigra, quae continet ſtemmata. Oculi reniformes. Thorax ater in medio nudus lucidus, ſcutello punctis duobus flauis vix disiunctis, at ſaepe immaculatus. Abdomen dorſo laeui, ſegmento primo toto atro foueola duplici impreſſo; ſecundo et tertio maculis duabus magnis,

gnis, orbiculatis, flauis. Pedes atri hiſpidi, tibiis etiam latere externo ſpinoſo dentatis. Alae flauo-ferrugineae, apice interdum violaceo. β. Variat magnitudine minori, antennis flauis, baſi nigra, maculis anticis abdominis nunc disiunctis, nunc cohaerentibus. Mas. Hab. in pratis et ſiluis paſſim frequentans flores. Long. 12, 16, lat. 3, 4 lin.

Huius Mas eſt *Sc. Hortorum* n. 834. Illa, quam Marem habet cel. Auctor, varietas eſt feminae admodum rara, quam cum Hellwigio communicauit; ſolis antennarum flagellis rufis differt. Caeterum *Sc. Hortorum* Femina ſ. *Sc. flauifrons* Auctorum variat fronte nigro varia, immo capite nigro, punctis nonnullis ferrugineis frontis maculaque vtrinque ferruginea pone oculos. Maxima Luſitanicarum pars capite nigro eſt. Maculae luteae anticae dorſi nunc disiunctae ſunt, nunc confluunt. In maſculo et macularum par poſticum ſaepius cohaeret. Maris ſpecimen nobis eſt ex Italia allatum, maculis abdominalibus in faſcias duas continuas connexis pubeque diſci thoracis et marginis ſegmenti dorſalis tertii caſtanea.

Sequens *Sc. bimaculata* varietas *Sc. Hortorum* maſculae mihi videtur, Varietati β. feminae analoga, at maculis duabus flauis anticis dorſi deficientibus diuerſa. Inter Luſitanicas nullam quidem eiusmodi Scoliam reperi, ſpecimina noſtra Italica ſunt.

Sphex bidens Sulzeri neutiquam differt a *Sc. Hortorum* femina, at *Sc. haemorrhoidalis* Fabricii, cuius feminam Chriſt ſub *Sphegis verſicoloris* nomine deſcribit Hymen. 254. tab. 24. fig. 2 peculiaris ſpecies eſt, nec varietas, vt celeb. Latreille putat. I.

833.

(p. 70.)

833. *S. 2maculata*, hirta atra, abdomine maculis duabus luteis, antennis flauis. F. Sp. 452. 7.

♀ *Sc. Hortorum Maris Varietas?* Muſ. Hellw. Hoffm.

Sc. bimaculata Roſſi Mant. 286.

Sc. bimaculata Fabr. S. Piez. 241. 13. certe Hiſpanica.

Corpus hirtum nigrum. Antennae flauae baſi nigra, quinque lineas longae, non iſthmo oculorum, ſed ex fronte deductae. Maculae duae glabrae, luteae in tertio abdominis ſegmento. Anus conſtanter triſpinoſus vti in *S. bicincta*. Alae ſubhyalinae flauicantes, neruis margineque craſſiori ferrugineis apice violaceo. Color apicis in iam aetate prouectis euaneſcere ſolet. App. Tab. 8. fig. C. Hab. in ſilueſtribus, nidulatur in truncis. Capta etiam in floribus Lilii albi vulgaris in horto. Long. 10, lat. 2⅔ lin.

Conferantur praecedenti adiecta. In Mantiſſa l. c. affert Auctor, ipſum hanc *Sc. bimaculatam* Scoliae ſuae *Hortorum* turbae immixtam reperiſſe, et marem eiusdem coniicere. *Sc. Hortorum* ipſa mas eſt, et *Sc. bimaculata* eius varietas videtur. I.

834. *S. hortorum*, atra, abdomine faſciis duabus flauis, alis ferrugineis, apice cyaneis. F. Mant. 281. 12.

Scolia interrupta Scop. Del. Fl. et Fn. Inſ. faſc. 2. p. 60. t. 22. f. 3.

♀ *Sc. Hortorum Mas* Muſ. Hellw. Hoffm.

Sc. Hortorum Roſſi Mant. 287.

Sc. Hortorum Fabr. S. Piez. 243. 24.

Sphex Hortorum Vill. Ent. 3. 243. 63.

Veſpa tricuſpidata Ibid. 280. 35. tab. 8. fig. 19.

An-

Antennae nigrae quinque lineas longae, extrorſum craſſiores, aliquantulum deflexae vti in praecedente; (in *S. flauifronte* breuiores ſurſus retortae, et prope ſinum oculi inſertae.) Maxilla tridentatae. Caput magnitudine *S. bimaculatae*, nempe multo minus quam in *S. flauifronte*, nigrum hirtum, vti etiam thorax et totum corpus pilis rarioribus. Abdomen oblongum ſegmento ſecundo, tertioque maculis duabus magnis orbiculatis flauis, ſubconnexis, et interdum in faſcias connatis. Margines ſegmentorum ciliati. Anus etiam in hac triſpinoſus. Alae flauae, apice violaceae. Variat dorſo thoracis interdum antice flaueſcente. Append. Tab. 8. fig. B.

Hab. in ſiluarum arboribus obtruncatis, frequentans flores: ſaepius capta cum *S. bimaculata* eodem tempore et loco: foretne alter ſexus? Suſpicio probabilitatis gradus habet non paucos. Long. 12, lat. 3 lin.

Conferantur, quae *Sc. flauifronti* et praecedenti addidimus. Feminam huius ſpeciei ſub *Sc flauifrontis* nomine deſcripſit Auctor. *Sc haemorrhoidalem* Fabr. cum hac ſpecie confudiſſe videtur. I.

(p 71.)

835. *S. 6maculata*, hirta atra, abdomine maculis trium parium flauis. F. Sp. 452 6.

♀ *Sc. ſexmaculata* Fabr. S. Piez. 240. 8.

Statura et magnitudo fere praecedentium. Antennae breues, nigrae. Lingua trifida, palpigera alba. Maxillae admodum exſertae, arcuatae, et ad apicem craſſiores. Caput atrum macula flaua ante, et pone oculos. Abdomen atrum maculis ſex flauis, quarum anticae rotundae, et inter ſe

ſe diſtantes; poſticae fere coëunt. Anus retuſus absque ſpinis. Pedes atri, hiſpidi. Tibiae anticae ad apicem internum pedunculo ruſo; poſticaeque binis inſtructae. App. Tab. 8. fig. A. Hab. in ſiluis rarior. Long 11, lat. 2½ lin.

Spinulae ſeu appendiculi tibiarum poſticarum cochleariformes teſtaceae ſingulares huic ſpeciei cum *Sc. inſubrica* Scopoli (quae cum *Inſubrica* Roſſii non confundenda eſt) communes ſunt. Alae violaceae coſta rufa. Pili, quibus corpus veſtitum eſt, nigri ſunt. Ventris ſegmentum tertium interdum flauobimaculatum. Marem nondum vidi, Fabricius ſub Maris titulo *Sc. inſubricam* Auctoris feminam deſignaſſe videtur. I.

836. *S. bicincta*, hirta, atra, abdomine faſciis duabus flauis, alis cyaneo-atris. F. Sp. 453. 11.
♀ *Sc. ſignata* Panz. Fn. Germ. 62. tab. 13.
Sc. bicincta Roſſi Append. 103.
Veſpa bicincta Vill. Ent. 3. 280. 37.
Sphex bicincta Scop. Del. Fl. Fn. Inſ. 61. tab. 22. fig. 4.

Antennae nigrae rectae, capite longiores, baſi tenuiores. Lingua trifida ſegmentis villoſo-papilloſis, vti in *S. flauifronte.* Caput et thorax atra, immaculata. Thorax poſtice valde retuſus. Abdomen ſeſſile, hirtum, atrum, bifaſciatum, faſciis duabus luteis ad baſin ſecundi, tertiique ſegmenti, et in medio ſuperioris marginis ſinu vnico exciſis, abdomen haud ſubtus cingentibus. Anus triſpinoſus. Pedes nigri. Alae margine craſſiori nigro, ad apicem fuſcae. Variat admodum magnitudine faſciisque magis minusue in medio ſinuatis.

tis. Append. Tab. 8. Fig. D. d. d. E. Hab. in floribus frequens. Long. 5, 6, 8, lat. 1, 2 lin.

Sc. bicincta Fabricii, Americae indigena, melius omittitur, quae faſcias flauas ad baſin ſegmentorum ſecundi et tertii habet, cum noſtrae ſegmenta eadem potius dorſo flaua, marginibus nigris dicantur. — Pilis corporis nigri in maculis flauis flauicant. Alae violaceae; interdum quaſi elutae hyalinae baſi et margine antico fuſceſcentes ſunt. In Appendice cel. Auctor plures varietates enumerat. Sunt, quibus faſcia vnica flaua ſit ſegmenti tertii abdominalis; aliis maculae binae ante, binae pone eandem faſciam ſaepius bipartitam; aliae ſegmentis tertio flauo, quarto ſtriga transuerſa interrupta eiusdem coloris, aliae maculis quatuor paruis dorſalibus etc. Antennae maris apicem verſus incraſſatae. Areolae alarum marginalis et intermedia poſterior ſimplices ſunt. In Luſitania haec ſpecies frequentius occurrit. I.

(p. 72.)

* 837. *S. inſubrica*, hirta, nigra, abdomine faſciis, maculisque binis oualibus luteis; alis apice hyalino-violaceis. Scop. Del. Fl. et Fn. Inſ. faſc. 2. p. 58. t. 22. f. 1.

♀ *Sc. inſubrica* Roſſi Append. 10. 4.

Caput pone oculos tantum macula lutea. Oculi reniformes. Antennae nigrae, craſſiuſculae. Thorax immaculatus. Abdomen oblongum maculis binis lucidis, ouatis, luteis, poſticeque faſciis duabus concoloribus, prima latiori in medio excauata. Pedes nigri hirti tibiis ſpinoſis. Alae ruſeſcentes, ad apicem hyalino-violaceae. An mas *S. ſexmaculatae?* Append. Tab. 8. Fig. F. G. g. Hab. in ſiluis et in horto Piſano academico in floribus

ribus Aſclepiadis fruticoſae non rara. Long. 8, lat. 2 lin. vix.

Spinulae Feminae poſticae teſtaceae at ſpiniformes; pili corpus veſtientes nigri, alae rufeſcentes apice et limbo interno violaceae ſunt. Species itaque a *Sexmaculata* bene diſtincta. Mas exceptis antennis, ano triſpinoſo, capite minore feminae ſuae ſimillimus. Fabricius eam Marem *Sexmaculatae* habuiſſe videtur. Scopolii *Sphex inſubrica*, a qua nomen mutuauit Auctor, admodum diuerſa ſpecies, omnibus, etiam ſpinulis cochleariformibus, quas expreſſis verbis deſcribit Scopoli, *Sc ſexmaculatae* ſimilis, at pilis canis nec nigris veſtita. Eam feminam *Sc. interruptae* ſequentis coniicio. I.

838. *S. interrupta*, nigra, cinereo-hirta, abdomine atro, faſciis ſex flauis, anticis tribus interruptis, ano tridentato. F. Sp. 454. 18.

Sphex caneſcens Scop. Del. Fl. et Fn. I. faſc. 2. p. 66. t. 22. f. 8.

♀ *Scolia interrupta* Muſ. Hellw. Hoffm.

Mas: *Elis interrupta* Fabr. S. Piez. 249. 2.

Veſpa nigricornis Vill. Ent. 2. 280. 43. tab. 8. fig. 21?

Femina: *Sphex inſubrica* Scopoli Del. Fl. Fn. Inſubric. 58. tab. 22. fig. 1?

Antennae nigrae rectae thorace longiores. Caput cinereo-hirtum labio baſi vtrinque lineola flaua. Thorax niger, hirtus, punctis tribus ſcutellaribus, lineaque marginali antica albo-luteis. Abdomen pubeſcens, atrum, ſegmento primo maculis binis, tranſuerſis, ouatis, albo-luteis; ſecundo et tertio maculis iisdem; quarto faſcia maculis concolore, in qua punctula duo nigra; quinto faſcia ſimili, cuius margo ſuperior in me-

 dio

dio prominet; ſexto, faſciola alia. Anus triſpinoſus. Abdomen ſubtus quadrimaculatum. Pedes nigri piloſi. Femora et tibiae anticae latere exteriore pallide-lutea. Alae albidae coſta anteriorum ferruginea. Hab. in ſiluis non rara. Long. $6\frac{1}{3}$, 8, lat. $1\frac{3}{4}$ lin.

Vera Scolia, neque Elis eſt. Huius ſpeciei per totam Europam auſtralem occurrentis ſola indiuidua maſcula, nec ea pauca vidi. *Sphegem inſubricam* Scopolii pilis canis itidem obſitam, non ſine ſpecie veri eius feminam eſſe credo, quam ex iisdem locis accepimus. Alae quidem teſtaceae limbo violaceo, et ſpinulae longae cochleariformes hanc coniecturam reiicere videntur, de ſpinulis vero obſeruo, eas feminis longiores eſſe ſolere. I.

(p. 73.)

839. *S. ſexfaſciata*, nigra cinereo-hirta, abdomine atro ſtrigis ſex flauis. Append. Emendat. p. 136.

♀ *Elis voluulus* Fabr. S. Piez. 249. 6.

Elis cylindrica ibid. 5. variet.

Habitus antecedentis. Antennae nigrae porrectae thorace longiores. Caput nigrum, pubeſcens labio flauo. Thorax niger ſtrigis duabus apicis anteriore interrupta, punctis duobus ſub alis, poſticeque immaculatus. Abdomen atrum, nitidum, ſegmento primo campanulato, ſtrigis ſex flauis, ſinuatis, ad latera interruptis, et abdomen cingentibus. Anus aculeo valido recuruo. Pedes flaui, tenues, femoribus nigro-maculatis. Alae albae, hyalinae puncto marginali teſtaceo. Variat admodum magnitudine. Append. tab. 3. fig. C. Hab. ruri frequens in floribus. Long. 9, lat. 1 lin.

Elis

Elis ſexcincta Fabricii, quam hanc *Sexfaſciatam* putauit Auctor, quod poſtea emendauit, admodum differt. *Elis voluulus* Fabricii cum Roſſii Scolia omnino congruit; eius *Elis cylindrica* inter reliquas in Algaruia capta, eo tantum differt, quod faſciae abdominis anguſtiores ſint, thoracis fere euaneſcant. Cel. Latreille H. N. XIII. 269. hanc ſpeciem ſub Myzine Galliae meridionali indigena intelligit. Panzeri *Sapyga cylindrica* Fn. Germ. 87. tab. 19. Elis quidem, noſtraeque ſimilis eſt, at magnitudine minore ſatis differt. I.

840. *S. 4punctata*, atra, abdomine punctis quatuor albis. F. Sp. 454. 16.

Sphex quadripunctata Scop. Del. Fl. et Fn. Inſ. f. 2. p. 65. t. 22. f. 7.

♀ *Sc. quadripunctata* Fabr. S. Piez. 245. 39.

Sc. 4punctata Panz. Fn. Germ. 3. tab. 22. mas.

Sc. violacea ibid. 66. tab. 18. feminae varietas.

Sc. 6punctata Roſſi Mant. 288. varietas feminae.

Sc. 4punctata Coqueb. Ill. II. tab. 13. fig. 13. mas.

Tota piloſa. Antennae rectae. Caput et thorax nigra, immaculata. Abdomen nigrum maculis quatuor exalbidis, ſeu pallide-luteis, poſticisque maioribus, et praeterea puncta bina minima. Pedes nigri. Alae baſi, et coſta late ferruginea, margine tenuiori, et apice violaceae. Variat ſtatura minori absque punctis. Specimen habeo praecedente dimidio maius quod differt etiam antennis non rectis, ſed breuioribus, et apice retortis, macula alba pone oculos, ano non triſpinoſo, ſed inermi retuſo, abdomine maculis quatuor, punctisque duobus poſticis albis. Forte noua ſpecies? Hab. in ſilueſtribus non rara. Long. 4¼, lat. 1½ lin.

CXX.

Varietatem indicatam maculis ſex dorſalibus cel. Auctor in Mantiſſa et Appendicis emendationibus p. 136. ſpeciem diuerſam quidem eſſe contendit, at plura ſpecimina ex Hungaria et Italia allata me docent, maculas illas poſteriores nunc maiores eſſe, nunc minutas, nunc obſoletas, nunc omnino deletas, nunc vtrinque bipartitas maculasque occipitales, et in illis, quibus ſex abdominales ſunt, ſaepius deeſſe. Caeterum non ſolum femina ſed mas quoque maculis ſex variat. Illis maculis demtis varietas diſtingui nequit. I.

(p. 74)

CXX. CHRYSIS.

Labium porrectum maxilla multo longius, apice membranaceum. *Antennae* filiformes.

Obſ. A Chryſide cl. Fabricius, Latreillium ſecutus, *Chr. carneam* ſub *Parnopes* nomine ſegregauit, palpis breuiſſimis gloſſarioque longiſſimo inſignem; reliquas ſpecies coniunctas reliquit, quas cel. Latreille in duo genera diſtinguit: *Chryſis* et *Hedychrum*. Characteres ex oris partibus deſumti non ſufficere videntur; anus Chryſidibus haud omnibus dentatus eſt; ſtriga transuerſa ante ani marginem punctata vel criſpulata, quam Chryſidibus propriam prodit Latreille, in altero *Hed. luciduli* ſexu fere eadem exſiſtit. Areola marginalis alarum in Chryſidibus *calente*, *ſplendida* aliisque non minus imperfecta, ſ. poſtice aperta eſt, ac Hedychris. Quibus itaque Chryſidi redditis, omnes ſpecies apte in quatuor familias diſtribuimus: I. abdomine oblongo, ani margine dentato: *C. ſplendida, ignita* aliaeque; II. abdomine oblongo, ani margine edentato: *C. auſtriaca*, *caeruleſcens*; III.

III. abdomine hemiſphaerico, ani margine integro, e. c. *Lucidula;* IV. abdomine hemiſphaerico, ani margine bidentato: *C. aurata* et affines. Familiae I. et II. *Chryſides,* III. et IV. *Hedychra* ſunt e mente Latreillii. Cl. Panzer idem Hedychri genus in Faunam ſuam introducens, illi nomen *Omalus* minus apte tribuit, quo cel. Jurine aperte *Bethylum* Latr. Fabr. deſignat. I.

841. *C. calens,* coerulea, nitida, abdomine aureo, ano quadridentato coeruleo. F. Sp. 455. 3.
♀ *C. calens* Fabr. S. Piez. 171. 4.
C. punctatiſſima Vill. Ent. III. 259. 13. tab. 8. fig. 16.
Antennae fuſcae. Caput et thorax coerulea nitida. Thorax gibbus, dorſo ſulcis duobus longitudinalibus exarato, ſcutello prominente concauo. Abdomen aureum, viride, punctulatum, ano coeruleo, quadridentato. Pedes coerulei apice fuſci. Tab. A. fig. 3. Icon. exhib. Hab. Florentiae frequens; Piſis numquam inuenta. Long. 5, lat. 1½ lin.

Cl. Villers l. c. varietatem viridem deſcribit, *C. ſplendidae* ſimillimam, quam caeteris immixtam reperit ill. Comes ab Hoffmansegg in Algaruia. Variat haec eximia ſpecies corpore viridi, viridi-aureo, viridi abdomine cupreo; corpore cyaneo, abdomine cupreo-aurato; ſegmento anali omnibus vero cyaneo. I.

842. *C. ignita,* glabra, nitida, thorace viridi, abdomine aureo, apice quadridentato. F. Sp. 455. 7.
Linn. Syſt. Nat. 947. 1. Fn. Sv. 1665.
Geoffr. Inſ. II. 382. 20.
De Geer Inſ. 2. 2. t. 28. f. 17. 18.

Sphex

Sphex Scop. Ent. Carn. 791. Schrank. E. I. 782.
Schaeff Elem. t. 40. Icon. t. 74. f. 7. 8.
♀ *C. ignita* Fabr. S. Piez. 173. 14.
Oliv. Enc. meth. V. 673. 11.

Hab. in muris, lignis intra foramina propria. Long. 4, lat. 1⅙ lin.

Ch. auſtriaca Fabr. S. Piez. 173. 15. quae per totam Europam auſtralem occurrit, nullo modo huius *Ignitae* varietas eſt. I.

(p 75)

843. *C. carnea?* glabra, nitida, thorace abdominisque primo ſegmento viridibus, reliquis carneis ano ſerrato. F. Sp. 455. 6.

♀ *Parnopes carnea* Fabr. S. Piez. 177. 1.
Chryſis carnea Coqueb. Ill. II. 61. tab. 14. fig. 11.
Chr. grandior Pallas It. Ap. 1. n. 76.
Chr. grandior Chriſt. Hymen. 398. tab. 44. fig. 3.

Meum inſectum apprime conuenire videtur cum deſcriptione *C. carneae* F. ſed cum habeat proboſcidem, et profecto longiſſimam, non ſatis tamen ſpeciminum defectu a me examinatam, ſyſtematicorum iudicio grauiſſimo committam.

Facies omnino *Chryſeos*, et maior *C. ignita*. Caput viride labio villoſo argenteo. Antennae nigrae fractae articulo primo longiori vti in congeneribus. Proboſcis longiſſima nigra. Thorax ſcaber, viridis linea transuerſa profunde impreſſus, et ad latera protractus, puncto calloſo ante alas, ſcutello prominulo obtuſo trifido. Abdomen fornicatum carneum, nitidum ſegmento primo viridi. Anus rotundatus et denticulis pluribus minimis ſerratus. Pedes abdomini concolores femoribus nigris. Alae planae. "Proboſcis longa recta ſubrufa

rufa apice bifido, valuis nigris duabus. Color viridis cupreo mixtus. Femora potius viridia quam nigra." (Ap. Emend. p. 136.) β. Alia ſpecimina habeo fere triplo minora, capite thoraceque viridi-coeruleis, abdomine toto carneo, apice pone rotundato, edentato aculeo craſſo, tibiis coeruleis, quae nouam ſpeciem ſub nomine *C. roſeae* ſtatuere videntur. Thorax in hac ad latera dentatus. Tab. VIII. f. 5. *C. carnea?* f. 7. *C. roſea.* Habitant in ſiluis rariſſimae. "Mox inuenta ſaepius menſ. Iul. in campis ſabuloſis ſyluaticis volans prope arenam, eaque identidem inſidens, at cum a longe perſequutorem videat et fugiat, captura difficilis." (Ap. Em. p. 136.) Long. 4⅔, lat. 1⅔ lin.

Varietas ſic dicta β. in Mantiſſa n. 290. ſub *Chr. roſeae* nomine diſtincta, forſan *Chr. roſea* Panz. Fn. Germ. 79. tab. 16. eſt, nec *Parnopis* ſpecies. Mihi ignota eſt.

Tegulae alarum *Parn. carneae* magnitudine inſignes ouatae ſunt. Scutellum in proceſſum ſupra planum ſcabrum productum eſt. Abdominis ſegmenti baſalis viridis margo medius pallide teſtaceus eſt, vt margo ſequentis carnei. Mas ſegmentis dorſalibus quatuor, Femina tribus eſt, ſegmentis ſecundo et tertio maris illi quaſi in vnum coalitis. Pygidium, feminae grandius, ante marginem apicalem transuerſim impreſſum, carina ibidem media longitudinali eleuata. I.

844. *C. aurata*, glabra, nitens, thorace viridi, abdomine aureo, ano bidentato. F. Sp. 456. 13.
Geoffr. Inſ. 2. 383. 21.
♀ *Chr. lucidulae* variet. Hellw. Hoffm.
C. regia Fabr. S. Piez. 175. 126.
C. regia Coqueb. Ill. II. 60. tab. 4. fig. 8.

C. au-

C. aurata Chriſt. Hymen. 399. t. 44. fig. 4.
Noſtra ſpecimina exacte reſpondent deſcriptioni Geoffroyanae. Tota aurata, viridis abdominis ſegmentis tribus ſubaequalibus, ano edentato. Hab. ad parietes. Long. $2\frac{2}{3}$, lat. $\frac{3}{4}$ lin.

Veram *Chr. auratam* Auctor in Mantiſſa n. 296. exhibet, ibidemque opinatur ſpeciem Fnae Etr. forſan varietatem ſexus eſſe *C. ignitae;* Geoffroy eandem *Ignitae* Neutrum coniicit. Sexus organorum inueſtigatio a me facta vtramque opinionem refellit.

Caeterum nil niſi thoracis color *Chr. lucidulam* a *Regia* Fabr. dirimit, at plura ſpecimina nobis ſunt, quorum anterior thoracis pars ex laeto aurato-viridi *Lucidulae* in obſcure vireſcentem cupro indutum, et alia, vbi eadem in obſcure-vireſcentem ſubcaeruleum, et, demum alia, vbi in caeruleum *Regiae* colorem tranſit. Citata a cl. Roſſio adducta e Linnaeo, Schrankio, Schaeffero reiicienda erant. I.

(*p. 76.*)

845. *C. cyanea*, glabra, nitens, thorace abdomineque coeruleis, ano tridentato. F. Sp. 456. 14.
Linn. Syſt. Nat. 948. 5. Fn. Sv. 1667.
Geoffr. Inſ. 2. 384. 23.
Schaeff. Icon. t. 81. f. 5.
♀ *C cyanea* Fabr. S. Piez. 176. 29.
Facie *C. ignitae* ſimillima, ſed paulo minor, et corpore anguſtiori. Tota coerulea, vnicolor. Hab. cum praecedente rarior. Long. 3, lat. $\frac{1}{2}$ lin.

846. *C. ſuccincta*, glabra, viridis, nitens, thorace faſcia coccinea, abdomine aureo ſubtridentato. F. Sp. 456. 10.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 947. 3.

♀ *C. ſuccincta* Fabr. S. Piez. 174. 19.

Thorax ignito-auratus, faſcia antica media coeruleo-viridi, ad latera dentatus. Corpus paruum ignito-auratum. Antennae, oculi, plantae nigrae. Captae tres in horto. Long. 1⅓ lin.

Speciminis noſtri, vt Panzeriani Fn. Germ. 77. tab. 16, anus quadridentatus eſt, caeterum deſcriptioni Linnaeanae exacte correſpondens. I.

847. *C. lucidula*, glabra, viridis, nitens, thorace antice abdomineque aureis, ano integro. F. Sp. 456. 11.

Sphex nobilis Scop. Ent. Carn. 792. Schrank. En. Inſ. 784.

♀ *C. lucidula* Fabr. S. Piez. 174. 21.

Chr. feruida Panz. Fn. Germ. 51. tab. 6.

C. lucidula ibid. tab. 5. varietas?

Caput viride. Thorax viridis, antice aureo rufus, poſtice vtrinque acuminatus. Abdomen aureum aculeo ſetaceo, longo valuis piloſis. Alae apice fuſceſcentes. Hab. in ſilueſtribus frequens. Long. 2¾ lin.

Conferantur quae *Auratae* n. 844. addidimus. I.

(p. 77)

* 848. *C. violacea, (Sphex)* tota violacea, nitens, abdomine pone rotundato, edentato, ſubtus virente. Scop. Ent. Carn. 793.

♀ *Chr. auratae* Fabr. varietas? Muſ. Hellw. Hoffm.

Omalus aeneus Panz. Fn. Germ. 85. tab. 15?

Alae apice fuſcae. Corpus breuius quam in praecedentibus. Hab. circa muros, in foliis Pruni domeſticae Aphidibus occupatis. Long. 2 lin.

* 849.

* 849. *C. dubia*, nigra, flauo-variegata, antennis clauatis, abdominis faſciis quinque flauis.

♀ *Celonites apiformis* Fabr. S. Piez. 292. 1.
Maſaris apiformis Jurine Hymen. tab. 10.
Cimbex veſpiformis Oliv. Enc. meth. V. 772. 16.
Veſpa abbreuiata Villers Ent. III. 281. 38?

Infectum noui generis, *Veſpae* et *Chryſidi* affine, inter vtramque medium.

Os maxillis palpisque. *Labium* porrectum maxilla longius apice membranaceum deſinens in linguam rectam aculeiformem in Labii canalem recondendam. *Palpi* quatuor inaequales poſtici incurui, apiceque hamulati. *Antennae* clauatae.

Maſaris apiformis.

Statura *C. ignitae* ſimillima; facies *Veſpae:* glabra. Caput nigrum ore, (in maribus) et linea frontis ad oculi ſinum continuata flauis. Antennae flauae capite non longiores claua orbiculari ferruginea. Oculi magni reniformes. Thorax niger, antice flauo-marginatus macula magna ſcapulari annexa, lineaque flaua vtrinque e medio dicti marginis ad baſin alae diducta. Pone alas macula, alteraque loco ſcutelli punctoque in medio diſci flauis. Praeterea latera poſtica thoracis ſquamula flaua appendiculata. Abdominis ſegmenta omnia in maſculo flauo marginata, faſciis in medio, et lateribus antice dilatatis. Pedes flaui. Abdomen ſubtus planum quaſi fornicatum ano, in femina, aculeato aculeo punctorio recondito. Alae quatuor, poſticae plicatae inaequales ſubnigrae. Tab. VII. fig. 10. 11.

Obſ.

Obſ. In primo abdominis ſegmento pro faſcia plerumque punctum minutiſſimum flauum in feminis. Hab. in hortis flores adiens Mari. Pauens, more Chryſidum, contracto corpore in globum alisque ſub abdomine occultatis permanet diu immobilis, eodemque modo caulem horizontaliter amplexante pernoctat in culmis fruticum exſiccatis et praeſertim Iſatidis tinctoriae. Long. 3¼ lin.

Deſcriptionem ſecundum literas a cel. Roſſi miſſas emendaui et auxi. Villerſii citatum ob picturam paullulum diuerſam dubium eſt; *Veſpae abbreuiatae* nidum cylindraceum ramis mortuis tota longitudine annexum, totumque rufum reperiit. I.

(p. 78.)

* 850. *C. ſplendidula*, glabra, nitida, thorace viridi-coeruleo, abdomine aureo-rubro, ano coeruleo quadridentato.

♀ *C. rutilans* Oliv. Enc. meth. V. 676. 23.

Facie ſimillima *C. ignitae*, ſed paulo minor et anguſtior. Differt a *C. ignita* tantum vltimis duobus ſegmentis coeruleis vti in *C. calens*. Subtus tota coerulea. Antennae, oculi, plantae nigrae. Captae duae in horto. Long. 3¼, lat. ⅔ lin.

Specimen Feminae huius ſpeciei in Luſitania captum colore intenſe cyaneo ſ. chalybeo eſt, abdomine aureo-rubro, vltimo ſegmento ſolo chalybeo, quod ob ani regionem depreſſam duplex viſum eſt Auctori. Striga transuerſa punctata ante ani marginem communis Chryſidibus abdomine oblongo praeditis, huic ſpeciei deeſt. Denticuli anales duo intermedii lateralibus paullo longiores ſunt. Alarum tegulae nigricant. I.

* 851. *C. cuprea*, glabra, aureo-aenea nitida; thorace pone coeruleo, pectore pedibusque cyaneis.

♀ *C. caerulipes* Fabr. S. Piez. 173. 13.

C. caeruleſcens Coqueb. Ill. II. 59. tab. 14. fig. 5.

Statura et magnitudo fere *C. ignitae.* Antennae nigrae. Caput, thorax antice, et abdomen aureo-aenea, nitida. Thorax poſtice coeruleus, dentatus, puncto calloſo alarum coeruleo. Anus integer aculeo longo craſſo. Abdomen ſubtus aureum nitidum. Pectus pedesque coerulea. Alae hyalinae margine craſſiori fuſco. Captae duae ruri in floribus. Long. 3¼, lat. ⅔ lin.

Haec ſpecies e Gallia, Luſitania, Ruſſia auſtrali nobis, Fabricio ex Auſtria venit. I.

* 852. *C? Heſperidum*, atra, vertice capitis bifido, ore acuminato, femoribus poſticis clauatis.

♀ *Chalcis Heſperidum* Roſſi Append. 100. tab. 7. fig. D.

Facies et habitus vere ſingularis. Magnitudine accedit ad *C. Siſpedem* (*C. femoratam* Pz.) cuius forte generis eſt. Tota nigro-punctata. Antennae filiformes, breues, ad apicem paullo craſſiores, deflexae, ac veluti truncatae vti in *Chryſi*, quae a ſciſſura capitis emergunt. Caput nigrum vertice profunde diuiſo in duas partes, et in pectus retractum. Os acuminatum eo modo vt exhibeat imaginem faciei indutae caputio poenitentiae. Oculi magni, prominuli, ſublimes. Frons lata. Thorax anguſtior capite. Abdomen ſeſſile ouatum, nitens, ſubtus fornicatum petiolo breui. Femora omnia nigra, poſticaque clauata, globoſa. Tibiae et tarſi tenuiſſi-

nuiſſimi breues, rufi. Aculeus ſub fornice recouditus ac reflexus. Alae hyalinae immaculatae. Volatus grauis. Hab. in plantis Heſperidum parieti innixis: media aeſtate capta. Long 2½ lin.

Chalcis cornigera Jurin. Hym. tab. 13. noſtrae *Chalcidi Heſperidum*, quam cl. Auctor Hellwigio impertiit, ſimillima eſt, ob neruos alarum differentes autem diuerſa iudicanda. Frons inter oculos producta in proceſſus duos longitudinales, verſus inferiora ſ. os euaneſcentes, ſuperne depreſſos et planos, vt vertex ſurſum inſpectus in cornicula duo abire videatur. Iidem cauum inter ſe formant pro recipiendis antennis, quando Chalcis eas capiti appreſſit. Abdominis ſegmentum baſale petiolum mentiens lineis quatuor eleuatis, ſegmentumque ſecundum in medio ſulcis exaratum eſt. Femora anteriora baſi rufeſcunt. Inſectum primo intuitu ſingulare quidem, re diligentius conſiderata, a reliquis Chalcidibus eo tantum differt, quod foſſae frontalis, Chalcidibus propriae, margines inſolito modo producti ſint. Cl. Latreille H. N. XIII. 231. 1. dubitat, an Roſſii inſectum *Diapria cornuta* ipſius ſit, *Pſilus cornutus* Panz. Fn. Germ. 83. tab. 11, a quo tamen valde diſcrepat. I.

(p. 79.)

* 853. *C? plumata*, nigra, antennis plumatis, abdomine reuerſo, petiolo longiſſimo.

♀ *Eurytoma plumata* Muſ. Hellw. Hoffm.

Cynips plumata Roſſi Append. 79. tab. 7. fig. F.

Inſectum elegans magnitudine *Cyniphis Roſae*. Antennae filiformes, dentatae, dentibus ſeptem quadrangulatis, primo articulo, ſeu baſi praelonga, et caput verſus deflexae, plumatae tenui villo albo ſericeo. Tota nigra, exceptis oculis, tibiis et digi-

digitis rufis. Abdomen breue, nitens ad latera compreſſum figura cordis reuerſi, fornicati, lunati, baſi prona terram reſpiciente, petiolo longiſſimo vti in *E. Appendigaſtro.* Alae hyalinae. Hab. cum praecedente. Capta media aeſtate, poſt meridiem, Sole radiis potentioribus me verberante. Long. 2 lin.

Idem inſectum, ab Auctore ad Hellwigium miſſum, inter Brunſuicenſia oblatum eſt. Petiolus abdomen longitudine aequat. Genus *Eurytomae* dignotu facile, Cynipis Familiam II. * Latreille H. N. XIII. 224. 1. complectitur, ſpeciesque ſequentes: *E. plumatam* hancce noſtram; *Chalcidem Abrotani* Panz. Fn. Germ. 76. tab. 14, *plumatae* ſimillimam at triplo-minorem, et *E verticillatam n.* quae forſan *Diplolepis verticillata* Fabr. S. Piez. 152. 23. eſt. I.

* 854. *C? Adonidum*, nigra, oculis rubris, abdomine petiolato cordiformi ad apicem acuminato, pedibus albis.

♀ *Cynips Adonidum* Roſſi Append. 75.

Diagnoſi addendum: antennae breues ſubfiliformes, vti in *Chryſi.* Caput et thorax niger punctulatus. Abdomen nigrum nitens, ad latera compreſſum. Femora nigra. Alae aqueae. Inuenta cum praecedente in eodem loco pluries. Long. 2 lin.

Forſan *Diplolepis.* I.

(p. 80.)

* 855. *C? infida*, nigra, antennarum baſi, fronte, ſcutello, pedibusque flauis.

♀ *Ichneumon infidus* Roſſi App. 91.

Facies

Facies paruae muſcae. Antennae vti in praecedente, ſed articulo primo flauo. Frons flaua. Caput poſtice nigrum punctatum. Thorax ad ſcutellum macula magna flaueſcente. Abdomen paruum rotundum nigrum petiolo breuiſſimo. Tibiae poſticae nigrae. Alae hyalinae, puncto nigro et apice fuſcae. Capta in eodem loco. (*) Long. 1⅔ lin.

Anne *Diplolepis?* I.

CXXII. LEVCOSPIS.

Os palpis aequalibus. *Labium* maxillis longius, emarginatum. *Antennae* extrorſum craſſiores.

856. *L. dorſigera*, abdomine ſeſſili nigro, faſciis duabus, punctoque flauis. F. Mant. 284. 1.

Veſpa dorſigera Sulz. Hiſt. Inſ. t. 27. f. 11.

♀ *L. dorſigera* Roſſi Mant. 297. et

L. gallica ibid. 298.

Deſcriptio Fabricii repetita. Mas dorſum habet integrum, non canaliculatum. Variat magnitudine multo minori capite immaculato, thorace absque puncto bilobo medio; varietas quae apud nos frequentior occurrit. Hab. in floribus Paſtinacae, Lauandulae ſpicae, Maluae arboreae, aliisque. Long. 4, 6, lat. 1½ lin.

In

(*) Quoad quatuor has vltimas ſpecies declarandum, quod ſi peritioribus Entomologis magis placuerit referre ad aliud genus, quando bene perſpectas habeant, poterunt quidem referre, nunc iam me approbante. Ann. Auct.

In Mantiſſa Auctor duas ſpecies in Fauna coniunctas ſeorſim tractat. At tertia inſuper ſpecies, vulgo cum *L. dorſigera* mixta, ad extricandam confuſionem nos inuitat.

I. *Leucoſpis Gigas* maior; antennarum ſcapus ſemiflauus, flagelli articuli tres priores rutili; frons vtrinque macula flaua; thoracis dorſum macula media flaua; ſcutelli macula ſemicordata ſeu transuerſa antice ſinuata flaua; metathoracis tumor ſubſcutellaris biſpinoſus; collare flauum faſcia media vtrinque abbreuiata, recta, nigra.

L. dorſigera maior Roſſi Fn. Etr.
L. gallica Roſſi Mant. 298.
L. gallica Villers Ent. III. 261. 2. tab. 8. fig. 18.
L. dorſigera Fueſsl. Arch. 2. tab. 18. fig. 1-10.
L. dorſigera Chriſt Hymen. tab. 19. fig. 9?
Veſpa dorſigera Sulz. Hiſt. tab. 27. fig. 11. a.
L. Gigas Fabr. S. Piez. 168. 2.

II. *Leucoſpis intermedia* minor, antennae maris totae nigrae, feminae itidem nigrae at ſcapo ſemiflauo; frons, thorax, ſcutellum, metathorax vt praecedenti; collare vt praecedenti, in vnico maſculo vt ſequenti.

L. dorſigera minor Roſſi Fn. Etr.
L. dorſigera Roſſi Mant. 1. 134. 297.
L. dorſigera Panz Fn. Germ. 15. tab. 17. Femina.
L. dorſigera Vill. Ent. III. 260. 1. tab. 8. f. 17.

III. *Leucoſpis dorſigera* minor; antennae vt praecedenti, frons nigra immaculata; thoracis diſcus maculae expers; ſcutellum ſtriga recta transuerſa flaua; metathoracis tumor ſubſcutellaris transuerſus nec biſpinoſus; collare faſcia media nigra, quae antice plerumque ad marginem extenditur, abdomen feminae faſciis duabus maculaque transuerſa vtrinque his faſciis intermedia flauis.

Femi-

Femina: *L. dorſigera* Fabr. S. Piez. 168. 2. Fueſsl. Arch. 2. tab. 18. fig. 11? quae ſola magnitudine maiore differt, forte aucta.

Mas: *L. diſpar* Fabr. S. Piez. 169. 6.

Panzeri *L. dorſigera Mas* Fn. Germ 58 tab. 15. collare et ſcutellum nigra vnicolora et femora poſtica nigra, macula apicis tantum flaua habet. Talem varietatem *L. dorſigerae* Fabr. nondum vidi. Tumor ſubſcutellaris plerumque biſpinus ad aculei vaginarum apicem fulciendum aptus eſt. Caeterum monendum eſt, *L. Gigantem* et *intermediam* ab Auctore nobiscum communicatas eſſe, *L. dorſigeram* in Germania occurrere. I.

(*p. 81.*)

CXXIII. BEMBEX.

Os lingua inflexa quinquefida. *Labium* ſuperius porrectum obtegens. *Antennae* filiformes.

Obſ. Bembecibus pluribus exoticis cel Latreille peculiare genus conſecrans, palpis maxillaribus ſexarticulatis promuſcidem aequantibus noſcitandum, nomine vſus eſt ad deſignandum genus, aui Cornuorum gentis ex antiquiſſimis temporibus inde proprio, *Monedula* nimirum, quod in *Stictia* mutaui. *B. ſignata*, *punctata*, *carolina*, *ſpinoſa*, *continua* Stictiae ſunt. I.

857. *B. roſtrata*, labio ſuperiori conico, fiſſo, abdomine atro faſciis glaucis repandis. F. Sp. 458. 3.

Apis roſtrata Linn. Syſt. Nat. 957. 25. Fn. Sv. 1700.

♀ *B. roſtrata* Fabr. S. Piez. 223. 5.

Latr. H N. XIII. 300. 1.

Sexu differt, faſciis nunc glaucis, nunc albis. Hab. in locis ſilueſtribus arenoſis frequens. Long. 7, lat. 2½ lin.

858. *B. oliuacea*, labio conico flauo, abdomine glauco, ſegmentorum marginibus nigris ano tridentato. F. Mant. 285. 4.

♀ *B. oliuacea* Fabr. S. Piez. 224. 7.

Caput cinereo-fuſcum labio corneo flauo, maxillis apice nigris. Antennae nigrae baſi flauae. Thorax fuſcus parum cinereo-pubeſcens, limbo lineari flaueſcente. Abdomen glaucum nitidum, ſegmentorum marginibus atris. In ſegmento ſecundo puncta duo diſtincta. Anus tridentatus. Pedes flaui. Alter ſexus differt colore magis albo, abdominis ſegmentis in medio tantum nigro-marginatis. Specimen habeo thorace dorſo nigro, vtrinque longitudinaliter lineato, poſticeque bis flauo-faſciato, et abdominis ſegmento primo ad baſin ſeptempunctato punctis nigris fere in circulum poſitis, reliquis antice tantum nigro-marginatis, ſegmento ſecundo etiam bipunctato. Subtus tota pallide-ſulphurea, abdominis apice nigro-maculato. Alae albae. Hab. cum priori. Long. 6, lat. 2 lin.

In Europa auſtrali Bembex occurrit, quam *B. oliuaceam* credere, non alienus quidem ſum, cuius vero ſpecimina numeroſa cum deſcriptionibus et Fabricii et Roſſii ab omni parte conciliare neſcio. Maris, ſegmentis dorſalibus ſeptem antennisque tredecimarticulatis inſignis, hypoſtoma pallidum immaculatum, abdomen albido-glaucum, ſegmento primo baſi macula ramoſa nigra notato, ſequentibus tribus punctis duobus dorſalibus margineque baſali,

baſali, ab antecedentis margine poſtico occultato, nigris, punctis iisdem ſegmenti quarti cum baſi cohaerentibus; ſegmentis demum tribus apicalibus immaculatis. Ventris ſegmenta anale totum, tria penultima ad baſin in medio nigra ſunt, organon ſexus cum forcipe prominet; pedes integri flauicante pallidi immaculati ſunt. Feminae clypeus ſub antennarum radice nigro-bipunctatus; ſegmenta dorſalia margine nigra, primum baſi macula lobata lobis acutis nigra, ſecundum punctis duobus liberis, duo dein ſequentia iisdem cum baſi nigra occultata connexis; ſegmentum vltimum nigrum macula vtrinque pallida notatum. Venter illi niger baſi et lateribus glaucus eſt. Pedes flauicante-pallidi femoribus ſtriola longitudinali ſuperius ad apicem, inferius ad baſin notatis. Scapus antennarum in vtroque ſexu pallidus, verſus apicem ſupra niger, flagellum nigrum ſubtus rufeſcens eſt. Tarſi antici et mari et feminae externe longe ciliati; thorax, lanugine cana veſtitus ſub ea niger eſt limbo dorſali ſcutellique regione pallidis.

Fabricius anum tridentatum deſcribit; femina certe eo non gaudet, nec marem eo praeditum dicere potes, niſi penem cum forcipe, qui ſpinarum trium ſpeciem aliquam prae ſe fert, tridentem illum habeas. Non diſſimulare tamen debemus, colores ſpeciminis deſcripti in feminam noſtram, nec in marem cadere, vnde dubitatio noſtra oritur. I.

(p. 82)

* 859. *B? Veſpoïdes*, labio rotundato, nigra, abdomine faſciis quinque flauis interruptis, ore, pedibus, antennisque flauis.

♀ *Cer-*

♀ *Cerceris Veſpoïdes* n.

Crabro Veſpoïdes Roſſi Mant. 303. App. t. 6. f. O. Statura fere *V. Gallicae* Linn. Corpus totum punctulatum, nigrum, ſubpubeſcens. Labium flauum. Antennae fuluae. Oculi glauci. Lingua breuis ſiphunculo foliaceo. Thorax niger puncto ferrugineo vtrinque ad collum, ad callum alae, lineaque poſtica breui loco ſcutelli. Abdomen nigrum ſegmento primo anguſtiori flauo-punctato, reliquis margine prominulis, vtrinque macula flaua transuerſa, fere in faſciam connata. Anus lateribus appendiculatus, bidentatus. Pedes ferruginei femoribus primi, et ſecundi paris baſi, poſticis apice nigris. Alae hyalinae apice fuſco. Variat antennis flauis, medio nigris, articulo vltimo ferrugineo, ſegmento abdominis primo immaculato. Pedes etiam interdum toti ferruginei. Forte genere differt. Hab. in ſiluis. Long. $5\frac{3}{4}$ l.

E deſcriptione hanc Bembecem Cerceridis Latr. Philanthi Jur. Fabr. ſpeciem agnoſco. Muſeum Hellw. Hoffm. ſimilem habet, cui vero flaua ſunt, quae hic ferruginea dicuntur. I.

CXXIV. VESPA.

Labium porrectum maxillis longius emarginatum vtrinque ſeta inſtructum. *Antennae* filiformes.

Obſ. Oculi ſinu interne excauati, alae plicatae, areolae intermediae tres, tibiae poſticae latere externo laeues Veſpas notant, quas cl. Jurine coniunctas ſeruauit, cel. Latreille autem in plura genera diſpeſcuit, *Synagris*, *Eumenes*, *Odynera*, *Poliſtes*, *Epipona*, *Veſpa*. Fabricius *Synagridem*, *Eumenem*, *Poliſten* adoptans, *Odyneram* et *Epiponam*

ponam Veſpis adiunxit. Quibus omnibus Mares antennis tredecimarticulatis, apice ſaepius vncinatis, abdominis ſegmentis dorſalibus ſeptem a Feminis diſtinguuntur, quae antennis duodecimarticulatis, ſegmentis dorſalibus ſex gaudent. I.

(p. 83.)

860. *V. Crabro*, thorace nigro, antice rufo immaculato, abdominis inciſuris puncto nigro duplici contiguo. F. Sp. 459. 8.
Linn. Syſt. Nat. 948. 3.
Geoffr. Inſ. 2. 368. 1.
De Geer Inſ. 2. 2. tab. 27. fig. 9. 10.
Scop. Ent. Carn. 824. Schrank. Enum. I. 786.
Reaum. Inſ. 6. tab. 18. fig. 1.
Schaeff. Icon. tab. 53. fig. 5. tab. 136. fig. 3.
♀ *Veſpa Crabro* Fabr. S. Piez. 255. 8.

Mas fere dimidio minor femina, ſegmentis abdominalibus ſeptem; in femina ſex. Habit. ſub arborum radicibus, et in cauis truncis gregaria; frequentat flores praeſertim Vmbellatos ad praedandas maiores Muſcas. Saepe vidi ibidem *M. Feram* deuorantem. Long. 12, lat. 4 lin.

Mari antennae aliquantum longiores, earum ſcapus vero breuior, clypeus apice rotundatus, feminae antennae breuiores, ſcapus longior, clypeus apice triſinuatus ſ. bidentatus eſt. Specimina feminae occurrunt *V. vulgari* vix maiora. I.

861. *V. vulgaris*, thorace vtrinque lineola interrupta, ſcutello quadrimaculato, abdominis inciſuris punctis nigris diſtinctis. F. Sp. 460. 9.
Linn. Syſt. Nat. 949. 4. Fn. Sv. 1671.
Geoffr. Inſ. 2. 369. 2.
De Geer Inſ. 2. 2. t. 26. f. 7.

Scop.

Scop. Ent. Carn. 825. Schrank. E. I. 787.
Reaum. Inſ. 6. t. 12. f. 7. 8.
Schaeff. Elem. t. 130. Icon. t. 35. f. 4.
☿ *Veſpa vulgaris* Fabr. S. Piez. 255. 9.

Hab. ſub tectis, victitans rapina. Long. 8, lat. 2½ lin.

Sexus eodem modo, quo *V. Crabroni* diſtinctus, excepto clypeo, vtrique ſexui triſinuato. I.

862. *V. gallica*, thorace vtrinque lineola, punctisque duobus, ſcutello maculato, abdominis inciſuris flauis, ſecunda bimaculata. F. Sp. 460. 10.

Linn. Syſt. Nat. 949. 7.
Geoffr. Inſ. 2. 374. 5.
Schrank. E. I. 789.
Schaeff. Icon. t. 24. f. 5.
☿ *Poliſtes gallicus* Latr. H. N. XIII. 348. 1.
Poliſtes gallica Fabr. S. Piez. 271. 8.
Veſpa dominula Chriſt Hymen. 229. tab. 21. fig. 1. a. b. c.
Veſpa parietum var. 1. et 3. Scopoli Carn. 827.

Frons, pedes, ſegmentorum abdominis margines flaua. Antennae flauae articulo primo ſuperius nigro. Thorax margine antico, linea ante alas, puncto ante et ſub alis flauo. Regio ſcutelli maculis luteis trium parium vltimo oblongiore. Abdominis ſegmentum ſecundum vtroque latere macula ouata flaua. Femora nigra apice flauo. Nidus haemiſphericus conſtans pluribus cellulis, atque ex materie compoſitus quam parat decorticando dentibus ligna exſiccata; petiolo tenaci adfixus locis Soli expoſitis, vmbra tamen aliunde tectis. Saepe infeſtatur alio inſecto, fortaſſe *Ichneumone*, qui plerumque e quarto abdominis ſegmento

mento prodit declaratus, *Veſpa* adhuc ſuperſtite. "Hae Veſpae in nidis domum propriam allatis incubationis tempore, fame, vt videntur, vexatae, quaeritant in cellulis laruas, abroſoque operculo pupas etiam extrahunt, ac vorant. Mas differt a femina abdomine ſubtus 5faſciato, oculis interdum glauceſcentibus, macula frontis ad os continuata, maxillis, pectore femorumque apophyſibus extus flauis. In femina abdomen ſubtus tricinctum, pectus nigrum, ſtriga frontis ſupra antennas flaua, mox ſpatium nigrum et deinde macula ſubrotunda flaua puncto medio nigro. Maxillae apice nigrae. Occurrit varietas minus obuia, cuius femina tantum differt a priore abdomine ſubtus quadricincto, macula oris flaua ſaepius absque puncto maxillisque nigris. Hanc, etſi mera varietas praecedentis, tamen numquam vidi ſocietate coniunctam cum ea connubia miſcere. Nidificat pari modo, at nidus compoſitus e cellulis paullo capacioribus et materie minus rudi minusque obſcura confectis. Veſpae quae poſt paucos dies in eundem nidum conueniunt, omnes ſimiles eiusdemque familiae inueniuntur." (App. Emend. p. 136.) Hab. paſſim, omnium frequentiſſima. Long 6, lat. 1⅔ lin.

A *P. gallico* ſpecies ſimillima diſtinguenda eſt, quam cl. Latreille *P. Diadematis* nomine H. N. XIII. 349. 2. propoſuit, quam vero in Panzeri, Fabricii, imo in Linnaei ipſius ſcriptis iam indicatam eſſe contendo. *Veſpa biglumis* nempe Linn. Syſt. Nat. 2. 951. 17. Fn. Sv. 1680. Fabr. S. Piez. 264. 63. Panz. Fn. Germ. 53. tab. 7. omnibus cum *Pol. Diademate* Latr. conuenit. Scutellum bidentatum

tatum quidem a Linnaeo huic ſpeciei attributum non reperimus, at metathoracis partem poſticam inferiorem, cui petiolus abdominis immiſſus eſt, ob terminos ad ſtethidii partes deſignandas deficientes, perperam ſcutellum appellauit Linnaeus, dentesque commemorati eaedem laminae acutae ſunt, quas in Poliſtis et affinibus vtrinque ad foueam pro recipiendo petiolo aptam, videmus. Linnaeus marem deſcripſit, Panzerus feminam depinxit.

Pol. gallici et *biglumis* mares ſub *Veſpae pectoralis* nouo nomine perperam diſtinxere in Catalogo Viennenſi. Femina *Pol. gallici* variat abdominis ſegmento primo quoque flauo-bimaculato. Talem varietatem ad Hellwigium miſit cl. Roſſi. Scopolii var. 2. l. c. ob antennas nigras ad *Pol. biglumem* pertinet. I.

(p. 84.)

* 863. *V. coanguſtata*, ferrugineo-flauoque varia, abdominis petiolo incuruo, infundibuliformi, ſegmento ſecundo campanulato, maximo, reliquis flauis.

♀ *Eumenes coanguſtata* Muſ. Hellw. Hoffm.
Veſpa infundibuliformis Oliv. Enc. meth. VI. 672. 10.
Veſpa conica Roſſi Mant. 299.

Facies *V. coarctatae*, at fere quadruplo maior. Antennae nigrae ſubtus ferrugineae, articulo primo inferne flauo; quandoque vncinatae. Capitis vertex, lineaque inter oculos flaua. Labium flauum. Maxillae exſertae ſubferrugineae. Thorax lateribus ferrugineis, dorſo ſuſco, lobo antico flauo. Abdominis petiolus incuruatus, infundibuliformis, ferrugineus, lunula ſubtus flaua. Segmentum ſecundum, maximum, campaniforme, baſi ferru-

ferrugineum, medio nigrum, ad apicem flauum. Reliqua ſegmenta flaua, interdum vtrinque, vel in dorſo punctata punctis nigris obſoletis. Pedes et alae ferrugineae. Subtus abdominis ſegmenta ad baſin nigra, ad apicem flauo-laciniata. Tab. IV. f. 10. Hab. etiam in hortis, flores adiens, non obuia. Long. 10. lat. $2\frac{1}{3}$ lin.

Haec ſpecies, inter Europaeas eximia, a cl. Roſſi et e Gallia auſtrali nobis venit. Ab *Eumene conica* Fabr. quacum eam Auctor in Mantiſſa eandem credit, admodum differt, cui antennae integrae fuluae, abdomen totum ferrugineum, nec a faſcia dorſali inde luteum, petiolus infra medium aperte bidenticulatus eſt. Multo maiore affinitate cum *Eum. pyriformi* Fabr. coniuncta eſt, quae fronte tota faſciaque verticali citrinis, antennis vndique fuluis, thoracis parte ante alarum radicem omni lutea, petiolo ſubtus manifeſto bidentato, abdominis faſcia poſtice concaua, nec in angulum medium dilatato differt.

Eum. coanguſtatae antennarum ſcapus ſubtus vltra medium tantum flauus. Capitis vertex et frontis pars ſuperior inter oculorum ſinus nigricant; pars frontis inferior, antennarum baſi interiecta, prominula flaua eſt vti clypeus et labrum. Mandibulae ferrugineae nigro-marginatae. Orbitae pars occipitalis ſtriga tenui flaua. Collare ferrugineum margine antico ipſo luteo. Tegulae ferrugineae. Abdominis petiolus ſupra infraque vitta nigra, poſtice abbreuiata notatus, infra medium ſubtus vtrinque obſolete denticulatus. Lunula eius flaua ab Auctore commemorata membrana articularis abdomen connectens eſt. Faſcia nigra ſegmenti primi dorſalis baſin ferrugineam a parte poſtica lutea ſeparans medio antice poſticeque

iu

in angulum obtuſum dilatata, vtrinque attenuata; ſpecimina ſunt, quibus faſcia antice in medio proceſſum exſerens baſin in duas maculas ferrugineas laterales dirimat. Femora eorundem nigra, apice nigra, tarſi magnam partem nigricantes. Aliis petiolus ſupra tantummodo puncto medio nigro notatus eſt. Feminas ſolas noui. I.

(p. 85.)

864. *V. oculata*, ferruginea, abdominis ſegmento ſecundo nigro, macula vtrinque ocellari lutea. F. Sp. 463. 30.

Scolia mutabilis Cyrill. Ent. Neap. Sp. t. 2. f. 8. figura bona at nomen improprium.

♀ *V. oculata* Fabr. S. Piez. 260. 34.

Deſcriptio Fabricii. Variat labio ſuperiore ferrugineo et vltimis abdominis ſegmentis late flauopunctatis. Latera thoracis poſtica margine ferrulato. Alae ferrugineae pone medium violaceae nitentes. (Em. p. 345.) Haec interdum prae multis ſuae gentis gaudet aculeis duobus punctoriis. Hab. ruri et in hortis frequentans flores. Long. 7, lat. 2 lin.

Maculam luteam lateralem ſecundi ſegmenti in magna ſpeciminum copia e Luſitania, Italia et Gallia meridionali allata numquam ocellarem vidi. Quae Cyrilli l. c. affert de coloris poſt mortem transmutatione in nigerrimum, falſa ſunt, et caſu fortuito in ſpeciminibus ab eo obſeruatis eueniſſe apparent.

Maris vncus antennarum apicis biarticulatus; punctum inter antennas clypeusque lutea ſunt. Penis forceps apice mucronatus, vt aculeus duplex ex ano promineat, quod in pluribus obſeruare eſt ſpeciebus; ſegmentum anale ventris margine fimbriatum. Feminae caput ferrugineum vnicolor, aculeus ani ſimplex eſt. I.

865.

865. *V. Parietum*, nigra, thorace punctis duobus, ſcutello bipunctato, abdomine faſciis quinque flauis, prima remotiſſima. F. Sp. 463. 32.

Linn. Syſt. Nat. 949. 6. Fn. Sv. 1673.
Geoffr. Inſ. 2. 376. 9.
Schrank. E. I. 793.
♀ *V. Parietum* Fabr. S. Piez. 261. 44.
Odynera Parietum Latreille.

Hab. in foraminibus parietum ligneorum. Long. 5½ lin.

Haec et affines ſpecies obſcurae ſunt. *Veſpa parietina* Linn. Fn. Sv. 1679. quam cum *V. Parietum* coniunxere, Linnaeo ipſo duce, peculiaris ſpecies eſt: *V. parietina* Fabr. S. Piez. 263. 52. a Panzero ſub nouo *V. Antilopes* nomine Fn. Germ. 53. tab. 9. depicta. Panzeri enim *V. parietina* Fn. 49. tab. 24. alia eſt, *V. myſtacina nob. Vm. Parietum* eiusdem Fn. 49. tab. 23. nec cum *V. Parietum* Linn. Fabr. nec cum *V. muraria* eorumdem, vti Latreille vult, coniungere poſſum. *Poliſtae biglumi* n. f. *Veſpae biglumi* Linn. Fabr. admodum ſimilis videtur. Roeſelii Veſp. 2. tab. 17. fig. 8. et Scopoli Carn. 827. ab Auctore citatae ad *Pol. gallicum* pertinent. I.

866. *V. muraria*, nigra, thorace maculis duabus luteis, abdomine faſciis quatuor flauis, prima remotiſſima. F. Sp. 464. 35.

Linn. Syſt. Nat. 950. 8. Fn. Sv. 1674.
Scop. Ent. Carn. 828. Schrank. E. I. 793. Poda M. G. 109.
♀ *Veſpa muraria* Fabr. S. Piez. 262. 43.
Odynera muraria Latreille.
Varietas: *Veſpa 5faſciata* Fabr. l. c. 42.

Anten-

Antennae ſupra nigrae, ſubtus flauae. Macula transuerſa flaua in fronte. Thorax antice linea, puncto ſub alis, lineaque transuerſa loco ſcutelli flauis. Abdomen faſciis quatuor flauis, prima remotiore. Pedes flaui. Femora poſtica nigra apicibus flaua. Hab. in parietibus. Long. 5¼, lat. 1 lin.

(p. 86.)

867. *V. pomiformis*, nigra, flauo-variegata, abdominis petiolo bipunctato, ſecundo ſegmento faſcia interrupta, omnibusque margine flauis. F. Sp. 467. 58.

♀ *Eumenes pomiformis* Fabr. S. Piez. 287. 9.

Statura *V. coarctatae.* Deſcriptio Fabricii affabre facta. Hab. in hortis frequens. Long. 5, 6½, lat. 1, 1½ lin.

Pedes rufi hanc ſpeciem a pluribus ſimillimis diſtinguunt, quarum vnam cl. Panzer ſub *V. pomiformis* titulo depinxit Fn. Germ. 63. tab. 7. quae, Etruriae quoque indigena, quod e ſpeciminibus a cl. Roſſi ad Hellwigium miſſis video, *E. conſtricta* nobis audit. Medium tenet inter *Pomiformem* et *E. coarctatam* Fabr. pedibusque luteis, femoribus baſi nigris eſt. I.

868. *V. ſpinipes*, nigra, abdomine faſciis quinque flauis, femoribus intermediis denticulatis. F. Sp. 464. 36.

Linn. Syſt. Nat. 950. 10. Fn. Sv. 1682.

♀ *Veſpa ſpinipes* Fabr. S. Piez. 263. 54.

Odynera ſpinipes Latreille.

Caput nigrum labio flauo, punctoque flauo inter antennas baſi tantum flaua. Thorax margine antico flauo, punctoque flauo ante alas. Abdomen

faſciis

faſciis quinque flauis, prima remotiſſima. Tibiae flauae. Alter ſexus gaudet femoribus tridentatis. Capta in hortis. Long. 3½ lin.

Feminam nullibi deſcriptam reperio. Quae haec eſſe mihi viſa eſt, differt antennis breuioribus, duodecimarticulatis, verſus apicem paullulum incraſſatis articulis ibidem arcte ſibi inuicem appreſſis, nec inuolutis, nec maioribus et compreſſis, vt in Mare; clypeo nigro, apice truncato, nec profunde ſinuato et bidentato flauoque, abdominis ſegmentis dorſalibus ſex: quatuor anterioribus toto margine flauis; femoribus denique intermediis ſimplicibus. I.

869. *V. biſaſciata*, nigra, thorace immaculato, abdomine faſciis duabus flauis. F. Sp. 464. 38.
Linn. Syſt. Nat. 950. 14. Fn. Sv. 1683.
♀ *Veſpa biſaſciata* Fabr. S. Piez. 264. 60.
Odynera biſaſciata Latreille.

Antennae nigrae. Labium flauum. Abdomen nigrum ſegmentis duobus primis margine flauis; ſed faſcia poſterior cingit etiam ſubtus abdomen. Femora nigra. Tibiae flauae. Hab. in hortis. Long. 3, lat. ⅓ lin.

(p. 87.)

* 870. *V. albo-faſciata*, nigra, abdomine lucido, faſciis quinque albidis, pedibus rufis.
Caput nigrum, puncto minutiſſimo inter antennas, quae baſi ſubtus flauae. Thorax niger antice punctis duobus transuerſis albidis. Abdomen atrum, nitidum, faſciis quinque albidis, ano interdum albo-punctato. Pedes rufi femoribus baſi nigris. *Spheci* proxima. Hab. ruri non frequens. Long. 4, lat. 1 lin.

An reuera generis Veſparum, aut ex illarum tribu? I.

871. *V. ſexfaſciata*, nigra, abdomine atro, nitido, faſciis ſex flauis. F. Sp. 465. 42.
Linn. Syſt. Nat. 950. 12. Fn. Sv. 1678.
♀ *Veſpa 6faſciata* Fabr. S. Piez. 263. 55.
Deſcriptio a Fabricio data. Hab. in hortis. Long. 4, lat. ⅔ lin.

872. *V. aruenſis*, abdominis faſciis quatuor flauis, tertia interrupta. F. Sp. 465. 40.
Linn. Syſt. Nat. 950. 12. Fn. Sv. 1678.
De Geer Inſ. 2. 2. 146. 3.
Schrank. E. I. 791. Schaeff. Icon. t. 93. f. 8.
♀ *Mellinus aruenſis* Fabr. S. Piez. 299. 10.
Varietas: *Mellinus bipunctatus* ibid. 298. 6.
Hab. in hortis frequens. Long. 6⅓, lat. 1 lin.
Geoffroyi Veſpa 7, quam allegant cl. Roſſi et Fabricius, hic ſigno dubitationis adiecto; Mellinus noſter eſſe nequit, et aperte *Cerceridis* ſpecies eſt. I.

(p. 88)

873. *V. campeſtris*, nigra, thorace lineola, punctis duobus, ſcutelloque flauis, abdomine faſciis quatuor flauis, prima interrupta. F. Sp. 465. 41.
V. campeſtris Linn. Syſt. Nat. 950. 13. Fn. Sv. 1677.
♀ *Gorytes myſtaceus* Muſ. Hellw. Hoffm.
Mellinus myſtaceus Fabr. S. Piez. 297. 1.
Varietas: *Mellinus campeſtris* ibid. 299. 9.
Hab. in parietibus. Long. 6, lat. 1 lin.
Linnaeus leues eiusdem ſpeciei varietates bis deſcripſit, alteram Veſpis, alteram Sphegibus ſuis annumerans. Fabricius easdem genere non vero ſpecie coniunxit.
Genus *Gorytes* Latreillii, quod celeberrimo Jurine *Arpactus* audit, Mellinos *4faſciatum* et *5cinctum* Fabr., *zonatum nob.* ſ. *5cinctum* Panz. ab illo Fabriciano diſtinctum, *M. arenarium* Panzeri

diſſectum

Diſſectum eiusd. Fn. 80. tab. 18. amplectitur. At *Crabro petiolatus* Panz. Fn. Germ. 46. tab. 11. et *Cr. frontalis* eiusd. tab. 12, quos Fabricius *G. myſtaceum* ſ. *campeſtrem* putat, Mellini ſpecies ſunt, *C. petiolatus* mihi ignotus, *Cr. frontalis* vero *Mellinus ſabuloſus* Fabricii eſt. I.

* 874. *V. annulata*, nigra, abdomine flauo-faſciato, geniculis nigris, antennarum apicibus flauis.

♀ *Crabro annulatus* Roſſi Append. 109.

Crabroni proxima. Caput nigrum labio flauo. Antennae nigrae baſi, et apice flauae. Thorax niger lineola antica, et poſtica loco ſcutelli flauis. Abdomen atrum, nitidum, ſegmento primo anguſtiori, annulo flauo interrupto, reliquisque omnibus flauo-marginatis. Femora nigra. Tibiae baſi flauae, apice nigrae. Tarſi flaui geniculis nigris, vltimo toto nigro. "Oculi nullo modo reniformes inter *Crabrones* amandare videntur." (App. 137.) Capta in floribus. Long. 4, lat. ¾ lin. Anne *Cerceris?* I.

* 875. *V. varians* App. (*bipunctata*), nigra, abdomine antice rufo, fronte, annulisque pedum albidis.

♀ *Proſopis variegata* Fabr. S. Piez. 295. 9.
Proſopis colorata Panz. Fn. Germ. 89. tab. 14.
Proſopis bifaſciatus Jurine Hymen. tab. 11.

Caput nigrum fronte alba, antennisque nigris. Thorax niger ſtriga antica punctoque ſub alis albis, poſticeque puncto vtrinque remoto albo. Abdomen anteriori parte ferrugineum apice nigrum. Pedes nigri albo-annulati. Variat in-

terdum abdomine toto nigro, et linea tantum ante oculos albida. Forte alter ſexus? "Non confundenda cum *V. bipunctata* Fabr. vnde eam *Variantem* appellaui." App. Em. 137. Saepius inueni inſidentem floribus Reſedae. Long. 3½ lin.

Proſopis genus ex Apum familia, Latreillio *Hylaeus* nuncupatum eſt. I.

* 876. *V. Dantic*, nigra, flauo-variegata abdominis primis ſegmentis duobus macula dorſali nigra margine luteo.

Caput nigrum labio flauo, puncto inter antennas, macula pone oculos, alioque puncto vtrinque in oculi ſinu poſito flauis. Antennae nigrae baſi ſubtus flaua. Thorax niger antice et poſtice ad latera flauo-maculatus ſquamula ante et ſub alis puncto, geminoque loco ſcutelli flauis. Abdominis primum ſegmentum flauum, macula in medio pyriformi nigra margine luteo: ſecundum, maximum flauum macula magna dorſali nigra antice margini adnexa: reliqua ſegmenta flaua, baſi nigromarginata. Pedes flaui. Alae ferrugineae. Variat admodum magnitudine et macula nigra ſecundi ſegmenti figura ſaepe diuerſa. Varietas minor gaudet aculeis duobus punctoriis. Interdum deeſt punctum flauum laterale frontis, et ſcutellum conſtat maculis duabus transuerſis. Differt quandoque etiam corpore magis elongato, ſegmentis quatuor vltimis totis nigris. An alter ſexus? Tab. VI. f. 6. Hab. ruri et in hortis frequens. Long. 5, lat. 1½ lin.

Veſpa aucta Fabricii, ad quam hanc *V. Dantic* citatur, admodum differt, quod Panzeri icon V. auctae

ctae cum noſtra comparata optime monſtrat. Scutellum poſtice margine acuto ſ. carinam transuerſam formante inſigne. Caue, ne plures ſimiles ſpecies Europae auſtralioris confundas cum Roſſiana Veſpa; forſan Auctor ipſa eo errauit. Noſtra ſpecimina, ab eo ipſo communicata, ſecundum antennas duodecimarticulatas, apice non vncinatas, feminae ſunt. I.

* 877. *V. minuta*, atra, geniculis pedum luteis, fronte albo-maculata.

♀ *Proſopis minuta n.*

Antennae cylindricae, nigrae, ſubtus flaueſcentes. Squamula ante alas flaua, genua, et plantae flauae; caetera nigra. Hab. in floribus. Long. 1½ lin.

(p. 90.)

CXXV. CRABRO.

Palporum articuli compreſſi, rhomboidales. *Labium* breue corneum apice palpigerum. *Antennae* filiformes.

Obſ. Crabronum genus, quale nunc eſt, facillime dignoſcitur, et, vt ita dicam, purum eſt, quod olim non ſic erat, omnibus ſpeciebus, quas Veſpis aut Apibus inferere non audebant, ibi depoſitis. *Philanthum*, *Pemphredinem* (*Cemonum* Jurine), *Oxybelum* Fabricius; *Cerceridem* (*Philanthum* Jurine, qui *Philanthum* Latreillii *Simblephilum* vocat), *Nyſſonem* Latreille, *Stigmum* Jurine ab illis ſeparauere. I.

878. *C. foſſorius*, thorace immaculato, abdomine maculis vtrinque quinque luteſcentibus, pedibus nigris. F. Sp. 469. 3.

Sphex foſſoria Linn. Syſt. Nat. 946. 32. Fn. Sv. 1662.
♀ *Crabro foſſorius* Fabr. S. Piez. 308. 3.

Caput grande labio argenteo maxillis luteis. Antennarum primus articulus luteus. Thorax ſubpubeſcens, margine antico ſtriga flaua interrupta, puncto gemino ſub alis, et loco ſcutelli maculis duabus transuerſis flauis, antica maiori. Abdomen ouatum nigrum ſegmentis quinque vtrinque macula laterali flaua, quarum poſticae connatae in faſciam. Femora nigra apice flauo. Tibiae flauae. Hab. in ſilueſtribus. Long. 5½, lat. 1½ lin.

Panzeri *Cr. foſſorius* Fn. Germ. 72. tab. 11. *Cr. mediatum* Fabr. S. Piez. 312. 20. ſpectare videtur. I.

879. *C. maculatus?* thorace maculato, abdomine atro, maculis vtrinque quatuor, tibiisque flauis. F. Sp. 470. 5.
♀ *Crabro notatus n.*

Antennae nigrae primo articulo flauo. Caput nigrum labio argenteo. Thorax niger ſtriga antica interrupta, puncto ſub alis, ſcutelloque flauis. Ante ſcutellum puncta duo flaua remota in noſtris. Abdomen atrum nitidum, maculis vtrinque quatuor transuerſis flauis. Femora flaua nigromaculata. Tibiae flauae. An varietas? Hab. in hortis. Long. 4, lat. 1¼ lin.

Cr. maculatus Fabricii, Americae indigenus, alia ſpecies eſt. I.

880. *C. clypeatus*, niger, abdomine punctis flauis, pedibus anticis concauo-clypeatis. F. Sp. 471. 9.

Schaeff.

Schaeff. Icon. 177. fig. 8. 9.
♀ *Crabro vexillatus* Panz. Fn. Germ. 4. tab. 5.
Cr. clypeatus Oliv. Enc. meth. VI. 515. 16.
Cr. clypeatus Fabr. S. Piez. 312. 18.

Antennae, caput et thorax nigra. Caput ad latera poſtice compreſſum. Abdomen nigrum faſciis ſex flauis, nunc primis tribus, nunc ſecunda et tertia tantum interruptis. Pedes flaui, antici clypeati lamella concaua. Femora nigrolineata. Saepius inuentus etiam in hortis. Long. $3\frac{1}{5}$ lin.

Crabro vexillatus Panzeri ſ. *clypeatus* Fabr. Roſſi, Oliv. ob caput pone oculos coarctatum, ſtethidiumque globoſum antice anguſtatum familiam peculiarem ſibi poſcere videtur. Eius tarſus pedum anticorum primus in clypeum flauum externe dilatatus eſt. *Crabro clypeatus* Panzeri ſ. vera *Sphex clypeata* Linnaei, quem Fabricius ſub *Cr. peltati* nomine S. Piez. 311. 15. deſcripſit, quoad habitum *Crabroni cribrario* ſimillimus eſt, clypeumque ſuum lateri externo tibiae anticae affixum gerit, ibidem flauum caeterum plumbeum, tarſis ipſis ſimplicibus. Hae ſpecies licet maxime discrepantes nihilominus hucusque confundebantur. Citata: *Sphex clypeata* Linn. Schrank. E. 780. Schreb. Inſ. 2. tab. 1. fig. 8. ab Auctore ad *Clypeatum* ſuum ſ. *Vexillatum* Panz. relata, deleui, ad *Cr. peltatum* Fabr. ſ. *Cr. clypeatum* enim pertinent. Eundem Naturforſch. XV. 90. tab. 3. fig. 19-23. ſpectat, teſte Panzero, cuius *Cr. peltatum,* Fabricio aſſentiente. *Clypeati* varietatem habeo.

Feminae *Cr. vexillati* nullam mentionem faciunt auctores, nullamque capitis forma ſimilem, tarſisque ſimplicibus vero diuerſam vidi. At ex iisdem

dem regionibus auſtralibus Europae, vnde *Vexillati* mares accepimus, miſſus eſt Crabro coloribus et ſuperficie *Vexillato* prorſus ſimilis, ſexusque ſequioris ſemper inuentus, qui tamen capite praegrandi poſtice re vera tumido, thoraceque antice et in ſcutello maculato differt, vt coniectura an alter *Vexillati* ſexus ſit, his modo dictis refelli videatur. Caeterum addo, Crabrones feminas antennis 12 articulatis, abdominisque ſegmentis ſex differre a Maribus, quibus antennae 13, abdominis dorſum ſeptem articulis conſtant. I.

(p. 91)

881. *C. Vagus*, niger, abdominis faſciis tribus flauis, primis interruptis, tibiis flauis. F. Sp. 471. 10.

Sphex Vaga Linn. Syſt. Nat. 946. 36. Fn. Sv. 1664. Scop. Ent. Carn 785.

♀ *Crabro Vagus* Fabr. S. Piez. 313. 22.

Caput nigrum labio argenteo. Antennae baſi flaueſcentes. Thorax niger lineola antica interrupta, ſub alis puncto, ſtrigaque poſtica duplicata transuerſa loco ſcutelli flauis. Abdomen faſciis tribus flauis, primis interruptis. Pedes flaui femoribus nigris. Variat magnitudine minori, thorace immaculato. Hab. in floribus. Long. 3½ lin.

Scutellum noſtrorum aut lineola ſimplici flaua notatum, aut plane nigrum vnicolor eſt. I.

882. *C. Leucoſtoma*, ater, glaber, labio argenteo. F. Sp. 472. 17.

Sphex Leucoſtoma Linn. Syſt. Nat. 946. 36. Fn. Sv. 1663.

♀ *Crabro Leucoſtoma* Muſ. Hellw. Hoffm.

Pemphredon Leucoſtoma Fabr. S. Piez. 314. 1.

Anten-

Antennae filiformes, primo articulo maiori. Labium argenteo-pubeſcens. Hab. in floribus frequens. Long. 3½, 4 lin.

883. *C. ſubterraneus*, thorace maculato, abdomine vtrinque maculis quinque flauis, pedibus ferrugineis. F. Sp. 470. 4.

♀ *C. ſubterraneus* Fabr. S. Piez. 309. 8.

Deſcriptio Fabricii repetita. Hab. in floribus. Long. 4½, lat. 1⅕ lin.

884. *C. vniglumis*, ſcutello mucronato, abdominis ſegmentis tribus punctis duobus albis. F. Sp. 472. 16.

Veſpa vniglumis Linn. Syſt. Nat. 951. 18. Fn. Sv. 1681.

♀ *Oxybelus vniglumis* Fabr. S. Piez. 316. 2.

Caput et thorax nigra immaculata. Antennae capite breuiores nigrae deorſum inflexae, et apicibus obſoletae. Scutellum mucrone prominet acuto, ſquamula flaua laterali. In nonnullis mucro canaliculatus, et apice bifidus. Abdomen nigrum maculis vtrinque quatuor flaueſcentibus. Femora nigra. Tibiae ferrugineae. "Variat magnitudine paullo maiori, abdomine maculis vtrinque quatuor albis, pedibusque omnibus totis ferrugineis baſi excepta femorum anticorum nigra. Variat tibiis flauis, interdum etiam poſticis nigris. Frons cinereo-lucida." (App. Em. p. 137.) Hab. in floribus. Long. 2, 3, lat. ½, 1 lin.

* 885. *C. Rachiticus*, niger, thorace maculato, abdomine faſciis quinque flauis, poſticis interruptis.

Caput

Caput nigrum linea ante, et pone oculos flaua. Maxillae flauae. Antennae nigrae baſi flaueſcentes. Thorax niger linea antica, puncto ſub alis, poſticaque transuerſa loco ſcutelli flauis. Abdomen nigrum, tenue apice ſubrecuruo, faſciis quinque flauis, quarum poſticae ſaepius interruptae. Pedes flaui, poſticique in mortuo praeſertim diuaricati. Femora breuia nigra apice flauo. Tibiae flauae, compreſſae digitis attenuatis, et quaſi truncatis. Hab in hortis. Long. 4, lat. 1 l. vix.

Crabro non eſt, forſan Mellinus. I.

(p. 93.)

* 886. *C. arthriticus*, niger, thorace maculato, abdomine flauo, ſegmentis nigro-marginatis, primo bipunctato.

Facie et ſtatura praecedenti ſimillimus. Antennae nigrae baſi flauae. Caput nigrum linea ante oculos, et pone macula flaua oculum ſubtus cingente, quaſi vsque ad maxillam itidem flauam. Thorax niger linea antica, puncto ante, ſub alis macula, ſcutelloque flauis. Abdomen cum petiolo flauum ſegmentis nigro ſubmarginatis, primo vtrinque prope petiolum bipunctato, puncto nigro obſoleto. Pedes primi et ſecundi paris toti flaui femoribus nigris apice flauo. An ſexus alter prioris? Hab. cum praecedente rarior. Long. 4, lat. 1 lin. vix.

Anne Mellinus? I.

* 887. *C. fimbriatus*, niger, abdominis ſegmentis flauo-maculatis maculis ad inſtar fimbriae pictis.

♀ *Cer-*

♀ *Cerceris fimbriata nob.*

Facies *Veſpae.* Caput nigrum fronte flaua, antennis nigris ſubtus flaueſcentibus. Thorax antice et poſtice lateribus vtrinque puncto, callo ante alas, lineaque transuerſa loco ſcutelli flauis. Abdomen nigrum, punctulatum ſegmento primo petiolo annexo immaculato, reliquis anguſtiori: ſecundo linea transuerſa flaua, et macula laterali ad marginem poſticum: tertio vtrinque macula flaua totum ſegmentum occupante, ſpatio nigro in medio relicto fimbriae veluti figuram exhibente; quarto, macula altera laterali flaua: mox reliqua ſegmenta tota nigra. Pedes flaui femoribus ſubrufis. Tibiae poſticae, quae nonnihil ſerrulatae exterius, annectuntur baſi tenuiſſima femoribus quaſi malleolo inſtructis. In nonnullis deeſt macula ſcutellaris, et punctum flauum ad latera poſtica thoracis. In aliis color flauus maculas nigras dorſales conſtituit ſemilunares, vnam poſt alteram decreſcentem anum verſus. In aliis denique margines tantum ſegmentorum flaui, ſed omnium facies, ac ſtatura eadem, in omnibus pedes flaui, et abdomen ſubtus modo faſcia cinctum, modo non. Si ſpecies fortaſſe diſtinctas pro varietatibus aſſumſero, gratia ſummae affinitatis, quam prae ſe ferunt, indulgeant mihi Entomologi. Hab. in floribus praeſertim Vmbellatis. Long. 4, $4\frac{2}{3}$, lat. $\frac{2}{3}$ lin.

Cerceridi ornatae, Philantho ornato Fabr. S. Piez. 304. 11. affinis videtur. I.

(p 94.)

* 888. *C. Megacephalus*, gibbus, piloſus ater, capite thorace maiore.

♀ *Cemonus lugubris* Muſ. Hellw. Hoffm.?
Cemonus vnicolor Jurine Hymen. tab. 11.?
Pemphredon lugubris Fabr. S. Piez. 315. 2.?

Totus ater immaculatus, gibbus. Antennae longitudine capitis. Caput magnum thorace maius, ore occipiteque hirſutis, fronte glabra nitida. Abdominis dorſum laeue nitidum, apice piloſo. Pedes piloſi. Alae hyalinae. Hab. ruri in floribus frequens. Long. 3, lat. 1½ lin.

* 889. *C. venuſtus*, ater, nitidus, thorace maculato, abdomine maculis vtrinque duabus, faſciisque tribus poſticis flauis.

Antennae nigrae baſi ferrugineae. Caput nigrum labio punctoque verticis flauis. Thorax niger ſtriga antica, punctis binis minutis connexis, lineolaque loco ſcutelli flauis. Abdomen atrum, nitidum, antice maculis vtrinque duabus, poſticeque faſciis tribus flauis, prima interrupta. Pedes flaui femoribus baſi nigris. Alae albae. "Medius inter *Crabrones* et *Veſpas*. In indiuiduis mox lectis oculi ſinum viſi ſunt exhibere, at vix conſpicuum. Alae non plicatae. Variat antennis ſubtus flauis. Punctum flauum in fronte nota conſtans." (App. Emend. p. 138.) Hab. in floribus rarus. Long. 3⅔, lat. 1 lin.

Crabro non eſt. I.

* 890. *C. cinctus*, niger, ſubpubeſcens, abdomine faſciis quinque flauis, prima interrupta.

♀ *Larra tridens* Muſ. Hellw. Hoffm.?

Crabro

Crabro tridens Fabr. S. Piez. 313. 23.?
Stizus ſinuatus Latreille H. N. XIII. 303. 3.? (mas)
Mellinus repandus Panz. Fn. Germ. 73. t. 19.? (fem.)

Caput nigrum labio flauo, at pro vario oculi ſitu ſubargenteo. Antennae nigrae ſubtus flaueſcentes. Palpi flaui. Thorax niger linea antica, puncto ſub alis, aliisque tribus loco ſcutelli flauis. Abdomen nigrum, ſubpubeſcens ſegmentorum marginibus flauo-faſciatis, faſciis in medio attenuatis, prima fere interrupta. Anus quandoque triſpinoſus. Pedes flaui femoribus nigris, tibiisque interdum nigro-maculatis. Faſciae ſubtus etiam cingunt abdomen. Spinae laterales raro praeſentes. Faſcia antica fere ſemper interrupta. Dubitaui an hic eſſe poſſet *V. tridens Allioni* F. at deſcriptio in multis non conuenit, et mihi viſus *Crabro*. Hab. ruri et in hortis obuius. Long. 4, lat. 1 lin.

Mas *Larrae tridentis* noſtrae ſ. *Crabronis tridentis* Fabr. antennarum articulo antepenultimo interius ſpinam exſerente, vltimo vnguiformi, ſcutello (noſtris ſpeciminibus certe) immaculato, ano triſpinoſo inſignis eſt. Metathorax poſtice excauatus margine eiusdem laterali bidentato, quod et in Femina locum habet, cuius colores cum illis *Crabronis cincti* Roſſii ſatis bene congruunt, excepta faſcia abdominis antica continua noſtris cum Maſculis tum Feminis. Quae modo relata me dubium reddunt, an reuera *Cr. cinctus* Auctoris noſtra Larra ſit.

Paucis monebo, *Crabronem tridentem* Fabr. omnino Larram eſſe, Larraeque genus Fabricianum generi *Stizus* Latreillii exacte correſpondere, *Larram*

ram Latreillii cum *Dineto* Jurin. et *Larram* Jur. cum *Lyrope* noſtra conuenire. I.

(*p. 95*)

* 891. *C. ſubpunctatus*, ater, laeuis, abdominis ſegmentis antice flauo-punctatis, maculatisque ano flauo.

Accedere videtur ad *C. dimidiatum* F. Paruus; caput atrum labio argenteo, primoque antennarum articulo ſubtus flauo. Thorax niger, lineola antica, punctis duobus, lineolaque ſcutelli flauis. Abdomen atrum, nitidum, primo ſegmento vtrinque in medio punctum flauum. Secundo et tertio macula flaua vtrinque in medio. Quarto punctum itidem laterale flauum minutiſſimum. Anus ſuperne flauus. Pedes flaui femoribus nigris. Hab. flores. Long. 3¼, lat. ½ lin.

* 892. *C. trimaculatus*, ater, nitens, thorace bidentato, abdomine vtrinque maculis tribus flauis.

An *V. bidens* F. quam Linnaeus indeſcriptam reliquit? num *C. ſpinoſus* F. Syſt. Ent. 373. 2.?

♀ *Nyſſon maculatus* Muſ. Hellw. Hoffm.

Pompilus maculatus Fabr. S. Piez. 196. 42.

Caput nigrum labio pubeſcente argenteo, at ſaepius cinereo. Antennae nigrae capite vix longiores, craſſiuſculae, articulo penultimo extrorſum prominulo, ab ore quaſi deriuatae. Thorax niger, immaculatus, poſtice vtrinque dentatus dente obſoleto. Abdomen atrum nitidum ſegmentis 1, 2, 3, ad marginem vtrinque flauo-maculatis. Pedes toti nigri. Anus quoque bidentatus. Alae fuſceſcentes. Variat tibiis, digitisque ſubrufis, tho-

thorace linea antica flaua, punctoque ſub alis flauo; ſed maculae abdominales numquam connatae in faſciam. "Species omnino diſtincta a *C. ſpinoſo* aliisque. Statura *C. vniglumis*, at paullo maior." (App. Emend. p. 138.) Hab. in floribus. Long. 3⅔, lat. ⅔ lin.

Nyſſonis genus a celeb. Viris Jurine et Latreille conditum, inſuper *Oxybelum interruptum* Fabr. ſeu *Mellinum diſſectum* Panz. Fn. Germ. 77. tab. 18., dein *Cabronem ſpinoſum* Fabr. et Panz. et denique *Nyſſonem ſcalarem* n. ſeu *N. interruptum* Latreillii comprehendit. I.

(p. 96.)

CXXVI. ANDRENA.

Os lingua trifida. *Labium* cylindricum maxillis longius, vtrinque ſetis duabus membranaceis.

Obſ. De Andrenarum Apumque generibus admodum difficilibus prae reliquis *W. Kirby*, Anglus, meritus eſt, qui in Monographia Apum Angliae non ſolum multas nouas ſpecies primus diſtinxit, ſed et plures parum notas deſcriptionibus accuratiſſimis explicauit, omnes in familias maxime naturales characteribusque diligenter elaboratis fundatas diſpeſcuit, et obſeruationibus ſuis ſpecierum mores earumque vitae genus ſexumque antea ignoratum illuſtrauit, ſyſtematisque linguam partes corporis diſtinguendo locupletauit. Cuius operis eximii epitome in Volumine V. mei *Magazin für Inſektenkunde* data, ſynonymisque ſyſtematis Fabriciani, Latreilliani et Juriniani ibidem additis, h. l. breuis eſſe poſſum. Cel. Latreillium non minus in hac, quam in reliquis Entomologiae partibus, genera optima

optima excogitaſſe, familiis Kirbyanis plerumque correſpondentia, inutile eſt quod addam. Cl. Fabricius eorum plura adoptauit, cuius nomina vt aliis praeferam, nomenclaturae leges poſcunt. I.

893. *A. coeruleſcens*, fuſca, ſubuilloſa, abdomine coeruleſcente, inciſurarum marginibus albicantibus. F. Sp. 472. 1.

Apis coeruleſcens Linn. Syſt. Nat. 955. 21. Fn. Sv. 1696.

♀ *Anthophora aenea* Illig. Magaz. V. 124. 70. Fem.

Apis coeruleſcens Fem. Kirby Mon. Ap. II. 264. 55.

Andrena coeruleſcens Panz. Fn. Germ. 65. tab. 18.

Apis muraria De Geer Inſ. II. 2. 751. t. 30. f. 23. t. 32. f. 1.

Corpus totum atrum coeruleſcens, marginibus ſegmentorum abdominis latere albis. Hab. in hortis. Long. 3 lin.

Fabricii *Andrena coeruleſcens* alia et quidem vera Andrena eſt, forte Mas *Andr. Fleſſae* Panz. Fn. Germ., at Linnaei *Apis coeruleſcens* ad noſtram *Anthophoram* ſpectat, cuius Marem ſub ſequente *Andr. aenea* habes. I.

894. *A. aenea*, aenea, griſeſcente - pubeſcens. F. Sp. 473. 3.

A. aenea Linn. Syſt. Nat. 955. 20. Fn. Sv. 1695. Scop. Ent. Carn. 809.

♀ *Anthophora aenea* Fabr. S. Piez. 381. 40.

Andrena aenea Panz. Fn. Germ. 56. tab. 3.

Aenea tota et villoſa, fronte albo barbata, antennis nigris, abdomine ouato obtuſo. Hab. paſſim. Long. 3½ lin.

Apem totam viridi - cupream Geoffr. Inſ. II. 415. 15., quam allegant Fabricius et Roſſi, ob ſegmentorum abdominalium margines albos, pubemque leuiorem corpo-

corporis, huc non ſpectare, cl. Kirby monet. Ea *Hylaeo ſubaurato* n. ſeu *Api ſubauratae* Roſſi adſcribenda videtur. I.

(p. 97)

895. *A. Heluola*, thorace ferrugineo abdomine cinerafcente. F. Sp. 473. 5.

Apis Heluola Linn. Syſt. Nat. 955. 16. Fn. Sv. 1693. [varietas.]

♀ *Andrena Gwinana* Illig. Magaz. V. 66. 24.

Melitta Gwinana Kirby Men. II. 120. 60.

Caput nigrum. Thorax totus ferrugineus, hirſutus. Abdomen nigricans, minus villoſum apice ipſo nigris villis hiſpido. Caput ſubtus, pedum anticorum pars poſtica, pectus, valde hirſuta. Tibiae poſticae lana ferruginea. Hab. in floribus non frequens. Long. 5¼ lin.

Conferatur Kirby l. c. pag. 119. 120. qui genuinam *Apem Heluolam* Linn., *Andrenam Heluolam* Fabricii ſecundum ſpecimen in Linnaei Muſeo conſeruatum deſcripſit. I.

896. *A. bicolor*, thorace villoſo-ferrugineo, abdomine atro-immaculato. F. Sp. 473. 6.

♀ *Andrena thoracica* Illig. Magaz. V. 64. 12. Mas.

A. bicolor Fabr. S. Piez. 366. 22.

Apis thoracica Chriſt. Hymen. 178. tab. 14. fig. 6.

Melitta thoracica Mas, Kirby. Mon. II. 101. 49.

Statura *A. mellificae*. Tota atra, thorace tantum ſuperne ſaturate rufo-villoſo. Abdomen glabrum nitidum. Alae apice fuſcae, praeſertim primores. Hab. in ſiluis non rara. Long. 6 lin.

Feminam huius *Bicoloris* Fabricius ſub *Andr. thoracicae* nomine S. Piez. 322. 3. diſtinxit. I.

* 897.

* 897. *A. Viſnaga*, ferrugineo-hirta, pedibus vndique villoſis, poſticis elongatis, alis apice fuſcis.

An *A. hirſuta* F. Mant. 299. 14?

♀ *Daſypoda diſcincta* Illig. Magaz. V. 86. 11. Mas.
Andrena hirſuta Fabr. Ent. Syſt. II. 312. 23.?

Statura et magnitudo *A. mellificae*. Nigra ſed tota villis ferrugineis hirta. Antennae piceae baſi nigrae. Caput, thorax pilis denſis ferrugineis tecta. Abdomen ſubtus glabrum atrum, ſupra marginibus, pilis longis ciliatum. Pedes hirſuti, poſtici elongati femoribus incuruis nigris inferne glabris, tibiis hirſutiſſimis, at paullo minus quam in *A. ſuccincta*. Alae hyalinae, apice ſubuiolaceo. Pernoctat gregaria in floribus vmbellatis ſiluarum Menſ. Iul. ante ſolis exortum inuentae quamplures ſimul congregatae in vmbellis Dauci Visnaga exſiccatis, contortis. Long. 6 lin.

Huius femina eſt *Andrena diſcincta* Appendicis, infra ſub Nr. 900. a. addita. A *Daſypoda hirtipede* Fabricii ſatis differt. Noſtra ſpecimina Luſitanica ill. Comes ab Hoffmansegg attulit, Italica cel. Roſſi Hellwigio miſit. I.

898. *A. pilipes*, atra, glabra, pedibus albo-ciliatis, alis fuſcis. F. Sp. 474. 12.

♀ *Andrena Fleſſae* Illig. Magaz. V. 74. 82.
A. Fleſſae Panz. Fn. Germ. 85. tab. 15.
A. hirtipes ibid. 46. tab. 15. varietas Feminae.
A. coeruleſcens Fabr. S. Piez. 323. 7. Mas.?

Tota glabra, atra, thorace obſcuro, abdomine nitido. Alae omnes fuſcae. Pedes nigri, poſtici albo-ciliati. Hab. in hortis frequens. Long. 6 lin.

Secun-

Secundum ſpecimen ab Auctore ipſo miſſum, citata appoſui. *Andr. pilipes* Fabr. ab hoc inſecto differt. I.

899. *A. ſuccincta*, thorace hirſuto fuluo, abdomine nigro, cingulis quatuor albis. F. Sp. 474. 18.
Schaeff. Icon. tab. 32. fig. 5.
♀ *Daſypoda hirtipes* Illig. Magaz. V. 85. 1.
Melitta Swammerdamella Kirby Mon. II. 174. 111.
Femina: *Daſypoda hirtipes* Fabr. S. Piez. 335. 1.
Andrena plumipes Panz. Fn. Germ. 46. tab. 16.
Andr. ſuccincta Panz. l. c. 7. tab. 10.
Mas: *Daſypoda hirta* Fabr. S. Piez. 336. 2.

Caput nigrum fronte hirſuta, albida. Thorax vndique hirſutus, fuluus. Abdomen nigrum glabrum inciſuris villoſo-albis. Pedes nigri tibiis hiſpidis; poſticis lana fulua hirſutiſſimis. Hab. ruri in floribus. Long. 4½ lin.

Citata: *Apis ſuccincta* Linn. et Geoffr. Inſ. II. 411. 7. delenda erant; icon Schaefferi allata, et deſcriptio docent, cel. Auctorem *Daſypodae hirtipedis* feminam indicare. I.

* 900. *A. etruſca*, nigra, abdomine ſegmentis margine albis lucidis, tibiis ferrugineis.
♀ *Lyrops Etruſca* Muſ. Hellw. Hoffm.
Larra Etruſca Jurine Hymen. tab. 9.

Antennae nigrae longitudine thoracis. Caput et thorax nigro-fuſca tomento flauo-cinereo vix pubeſcentia. Thorax antice faſcia, ſeu potius pube albo-ſericea nitens. Abdomen atrum nitidum, glabrum ſegmentorum marginibus albo-ſericeis lucidis apice interdum ſubaureo. Pedes glabri, ferruginei femoribus, et vngularum puluillis nigris. Alae flauicantes coſta ferruginea. Tab. VI.

f. 11. Hab. in pratis ſiluaticis apricis. Long. 6 lin.

De genere *Lyrops* conferantur, quae Sphegum generi praemiſſa ſunt. Icon Juriniana ſtemmata tria contra naturam in vertice, et in triangulo inuerſo poſita refert, quae fronti innata ſunt: ſcilicet duo ſuperiora ſingula apici ſpatii reniformis deſcendentis glabri, a ſtemmate ipſo aegre diſtincti, tertium inferius inter extrema ima eorundem ſpatiorum. — *Lyropis Etruſcae* antennae fractae, ſcapo articulis duobus ſequentibus vix longiore. Hypoſtoma ſerico orichalceo - albo micans; collare argenteo-ſericeum; margines ſegmentorum dorſalium orichalceo - micantes. Pygidium, ſ. ani ſegmentum, pyramidale auro-micans. Femorum apices tibiis tarſisque concolores fului, micantes; tibiae extrorſum hiſpidae. Alarum nerui luteſcentes. Specimen noſtrum a cl. Roſſi ipſo miſſum eſt. I.

900. a. *A. discincta*, nigra, thorace villoſo, abdominis dorſo glaberrimo, tibiis poſticis lana flaua hirſutiſſimis. Addend. p. 345.

♀ *Daſypodae discinctae* Illig. Magaz. V. 86. 11. Fem. Differt ab *A. ſuccincta*, praeſertim magnitudine maiore et dorſo abdominis conſtanter glaberrimo lucido absque cingulis albis. Abdominis tantum apex et latera pilis ſubflauis ciliata. Frons atra. Thorax villoſus. Femora antica ad apicem teſtacea. Tibiae poſticae admodum elongatae, lana denſa longiſſima flaua hirſutae, magis quam in *A. ſuccincta*. Hab. in ſiluis menſ. Iun. Inueni etiam effoſſo cuniculo in arena latentem. Long. 6 lin.

Feminam huius Daſypodae ſub *A. Visnagae* nomine deſcripſit Roſſi Nr. 897. quam comparet Lector. I.

CXXVII.

(p. 99.)

CXXVII. APIS.

Os lingua inflexa quinquefida. *Palpi* breuiſſimi. *Antennae* filiformes.

901. *A. violacea*, hirſuta, atra, alis violaceis. F. Sp. 475. 2.
Linn. Syſt. Nat. 959. 38.
Geoffr. Inſ. 2. 416. 19.
De Geer Inſ. 5. t. 28. f. 15.
Petiv. Gaz. t. 12. f. 5.
Reaum. Inſ. 6. t. 5. f. 1. 2.
Scop. Ent. Carn. 812. Schrank. Enum. I. 795.
Schaeff. Icon. t. 102. f. 7. 8.
♀ *Xylocopa violacea* Fabr. S. Piez. 338. 3. Femina.
Xylocopa femorata ibid. 339. 4. Mas.

Nigerrima, hirſuta, alis violaceis nitentibus. Caput rotundatum. Proboſcis piloſa. Mas plerumque antennarum articulis duobus penultimis rufis. Hab. frequens in hortis; nidificat in lignis exſiccatis. Long. 8, 10, 12 lin.

902. *A. terreſtris*, hirſuta, nigra, thorace cingulo flauo, ano albo. F. Sp. 475. 5.
Schaeff. Icon. tab. 69. fig. 7.
♀ *Bombus hortorum* Illig. Mag. V. 166. 17.
Apis hortorum Kirby Mon. II. 339. 91.
Apis hortorum Linn. Syſt. Nat. 2. 960. 42.
Bombus ruderatus Fabr. S. Piez. 344. 6.

Thorax in medio niger, antice poſticeque flauus. Abdomen baſi flauum, in medio nigrum, poſtice album. Variat ſtatura minori. Vnam habeo monſtruoſam villorum coloribus, ab vno tantum latere diuerſimode erratis. Hab. in terra, ſub qua profunde nidificat: frequens in floribus. Long. 8 lin.

Deſcriptio data ſatis docet, Auctorem *Bombum terreſtrem*, cuius poſtica thoracis pars ſemper nigra eſt, non nouiſſe. Citata omnia itaque, vnico excepto, omiſi, aliis adſcriptis, mihi non dubiis. At ſequens ſpecies mihi inextricabilis eſt. — Geoffr. Apis 24. cl. Roſſio citata, ad *Bombum virginalem* Illig. Mag. V. 167. 20. ſ. *B. hortorum* Fabr. verum ſpectat. I.

(p. 100.)

903. *A. hortorum*, hirſuta, nigra, thorace abdomineque antice flauis. F. Sp. 477. 15.
Praecedenti ſimilis; differt tantum faſcia flaua abdominis baſin occupante. Magnitudo admodum variat. Hab. in hortis frequens. Long. 6, 8 lin.

Veram *Apem hortorum* Linnaei ſub praecedente deſignatam eſſe, modo monſtrauimus. *Bombus hortorum* Fabr. ſ. *B. virginalis* noſter, Auctoris *A. hortorum* non eſt; Apis 26 Geoffr. h. l. citata, ad *B. veſtalem* Magaz V. 174. 60. ſ. *Bremum aeſtiualem* Panz. Fn. Germ. 99. tab. 19. pertinet. Scopolium et Schrankium citatos deleui. Vna ex affinibus ſpeciebus *Bombi hortorum nob.* h. l. exhiberi videtur, quae vero, ob nimis anguſtam deſcriptionem determinare non auſim. I.

904. *A. muſcorum*, hirſuta fulua abdomine flauo. F. Sp. 478. 20.
Linn Syſt. Nat. 960. 46. Fn. Sv. 1714.
Bombylius medius dorſo longis pilis rufis veſtito, mellificus vulgatiſſimus, in gramine nidum conſtruens. Raj. Inſ. 246. 3.
Reaum. Inſ. 6. t. 2. f. 3. 4.
Schrank. E. I. 801.
Schaeff. Icon. t. 69. f. 8.

♀ *Bom-*

♀ *Bombus muſcorum* Fabr. S. Piez. 349. 32.
Apis muſcorum Kirby Mon. II. 317. 74.
Hab. ſub muſcis. Long. 7 lin.

Apis 28. Geoffroyi, Auctori allegata, capite nigro, abdominis pube flaua, anali fulua differt. I.

905. *A. Hypnorum*, hirſuta, fulua, abdominis faſcia nigra, ano albo. F. Sp. 478. 21.
Linn. Syſt. Nat. 960. 47. Fn. Sv. 1715.
Scop. Ent. Carn. 820.
Reaum. Inſ. 6. t. 2. f. 4. 1.
♀ *Bombus Hypnorum* Fabr. S. Piez. 349. 33.
Bombus Ericetorum ibid. 345. 12.
Hab. ſub muſcis. Long. 6 lin.

Cel. Kirby *Apem Hypnorum* Auctoris noſtri ad *Bomb. lucorum* Mag. V. 166. 15, *Ap. lucorum* Monogr. II. 336. 89. refert, neſcio, cui rationi niſus; Roſſi enim nullam deſcriptionem dedit, et citatum Geoffr. Apis n. 25, quod dubius addidit, neutiquam *B. lucorum* illum, ſed *B. hortorum nob.* ſeu *B. ruderatum* Fabr. deſignat. I.

(p. 101.)

906. *A. ſiluarum*, hirſuta, pallida, thoracis faſcia abdomineque poſtice nigris, ano rufo. F. Sp. 477. 18.
Schrank. E. I. 807. deſcriptio optima.
♀ *Bombus Roſſiellus* Illig. Mag. V. 165. 12.
Apis Roſſiella Kirby Mon. II. 331. 85. tab. 18. f. 1.
Schaeff. Icon. tab. 241. fig. 7. 8.
Hab. in ſiluis. Long. 6½ lin.

Bomb. ſiluarum Fabricii, Apis eiusdem nominis Linnaei et Scopolii, ab hac Schrankiana Ape diuerſus eſt, illa citata ideo delenda erant. I.

907.

907. *A. aceruorum*, hirſuta, atra, tibiis poſticis ferrugineis. F. Sp. 479. 25.

♀ *Megilla retuſa* Illig. Magaz. V. 138. 7. Femina.
Apis retuſa Kirby Mon. II. 296. 69. Femina.
Megilla aceruorum Fabr. S. Piez. 328. 2.
Apis retuſa Linn. Syſt. Nat. 2.

Tota atra, tibiis poſticis lana denſa ferruginea tectis. Hab. ſub terra; Carduo delectatur. Long. 7¼ lin.

Citata e Linnaeo, Schrankio, Schaeffero allata remoui. Linnaei *Apis aceruorum* Bombi ſpecies videtur. Schaefferi Icon. tab. 78. fig. 5. ad *Antophoram murariam* feminam pertinet, cui Schrankii *Ap. aceruorum* Enum. 802. quoque adſcribenda videtur. Marem huius *Megillae retuſae* ſub *Ap. pilipedis* nomine infra deſcripſit Auctor. I.

* 908. *A. garrula*, nigra, thorace ſubhirto, pallide rufo, abdomine glabro, inciſuris rufis, tibiis poſticis extus lanatis.

♀ *Megilla garrula* Illig. Mag. V. 141. 27.

Facies *Bombylii.* Antennae nigrae, craſſiuſculae, breues. Caput pubeſcens labio nunc toto albicante, lineola transuerſa nigra, nunc nigro albo-lineato. Maxillae flauae. Lingua ferruginea. Thorax gibbus, ſubhirtus, pallide-rufus. Abdomen nigrum glabrum, thoraci approximatum, et quaſi connatum, inciſuris rufo tomento pubeſcentibus. Pedes nigri tibiis poſticis dilatatis apice biſpinoſis exterius vellere breui denſo flauicante. Alae ſabhyalinae coſta nigra. "Oculi glauci. Inciſurae abdominis aetate cinereo-tomentoſae euadunt." (App. p. 138.) Variat magnitudine, et villi colore plus minusue pallide-

rufo.

rufo. Statura maiores, fortaſſe feminae, labio antice nigro, alba linea diuiſo. Hab. in hortis frequens; ſuſpenſa in aëre ante florem, priusquam ei inſideat, et facillime inde fugiens, *Bombylium* mentitur. Long. 4, 5 lin.

Feminam *Garrulae* ſolam vidi, ab Auctore nobis impertitam. *Megillae rotundatae* ſimilis, at triplo maior eſt. Antennarum ſcapus ſubtus albicans. Hypoſtoma prominulum albidum clypeo diſtincto, vtrinque margine anguſto nigro. Labrum inflexum ad clypeum tenuiſſime nigrum, punctis duobus nigris. Lanugini denſae thoracis pili nigricantes interſperſi ſunt. Sarothrum (ſcopo Kirby ſeu pili denſi tibias poſticas veſtientes) griſeſcens; ſcopula (ſetulae paginam interiorem metatarſi ſ. tarſi primi poſtici tegentes) fuliginoſa. *Apem retuſam* Linnaei, quam cl. Roſſi hanc *Garrulam* ſuam credere propenſus eſt, ſupra ſub *A. aceruorum* ipſe deſcripſit. I.

(*p. 102.*)

909. *A. ſenilis*, hirſuta cinerea. F. Sp. 479. 31.
♀ *Bombus ſenilis* Fabr. S. Piez. 352. 50.

Tota pilis cinereis tecta. Antennae nigrae breues. Thorax magis hirſutus. Pedes nigri tibiis poſticis extus albo-villoſis. Alae hyalinae coſta nigra. Hab. ruri. Long. 3½ lin.

Bombum ſenilem Fabricii cel. Kirby *B. Muſcorum* varietatem aetate prouectam, et inde decoloratam iudicat, ſecundum ſpecimen Muſei Bankſiani, a Fabricii ipſius manu nomine donatum. I.

910. *A. pilipes*, griſea, pedibus intermediis faſciculato-piloſis. F. Sp. 484. 34.
Apis plumipes Pallas ſpicil. zool. faſc. 9. 24. t. 1. f. 14.

Apis

Apis plumipes Schrank. E. I. accurate deſcripta.
♀ *Megilla retuſa* Mas. Illig. Mag. V. 138. 7.
Megilla pilipes Fabr. S. Piez. 329. 6.
Laſius pilipes Jurine Hymen. tab. 11.
Apis pilipes Roſſi Mant. 311.

Corpus totum hirſutie cinerea tectum. Caput nigrum hiſpidum labio flauicante. Pedes quatuor poſtici, praeſertim intermedii tibiis pilis longioribus faſciculatis hirtis. Hab. in hortis frequens. Long. 6 lin.

Feminam huius ſpeciei ſub *Ap. aceruorum* nomine enumerat Auctor n. 907. *Andrena hirſuta* Fabr. Ent. 2. 312. 23, a cl. Fabricio ipſo femina *Megillae pilipedis* enuntiata, cum illa non quadrat, et nobis *Daſypoda discincta* n. ſ. *Andrena discincta* Roſſi 900. a. videtur. I.

911. *A. Lagopoda*, griſea, pedibus anticis diatato-ciliatis, tibiis poſticis clauatis, ano emarginato. F. Sp. 480. 33.

Linn. Syſt. Nat. 957. 27. Fn. Sv. 1702.
Sulz. Hiſt. Inſ. t. 27. f. 17.
Schrank. E. I. 810.
♀ *Anthophora Lagopoda* Illig. Mag. V. 111. 15?
Anthophora Lagopoda Fabr. S. Piez. 374. 9?
Apis Lagopoda Kirby Mon. II. 236. nota h?

Praecedenti ſimilis. Frons cinereo-villo-pubeſcens, vti thorax et abdomen. Pedes valde lanati, lana albida vno tantum latere. Tibiae poſticae incraſſatae. Hab. in floribus. Long. 6 lin.

Mas Anthophorae alicuius eſt; et ſi forte verae *Lagopodae* eſſet, citatum e Schrankii Enum. delendum, ad *Anth. Willugbiellam* Magaz. V. 111. 14. potius ſpectans. I.

(p. 103)

912. *A. mellifica*, pubeſcens, thorace ſubgriſeo, abdomine fuſco, tibiis poſticis ciliatis, intus transuerſe-ſtriatis. F. Sp. 480. 37.

Linn. Syſt. Nat. 955. 22. Fn. Sv. 1697.
Geoffr. Inſ. 2. 407. 1.
Reaum. Inſ. 5. t. 21. 22. 23.
♀ *Apis mellifica* Fabr. S. Piez. 368. 1.
Apis mellifica Kirby Mon. II. 310. 73.

Hab. in arboribus cauis: frequentius culta. Saepius hieme in horto Piſano academico, forte inopia florum ac genere vitae ſoluto in extremum adductae, ſociatim inſident margini exteriori algoſo piſcinarum e rimulis aquam ſtillantium, vt eam ſorbillent imbutam mucilagine quadam ſubdulci ab eiusdem Algae (*Byſſus aurea*) maceratione impertita. Long. 6 lin.

Tibiae poſticae apice interno ſpinis carent, quibus omnia reliqua inſecta Piezata inſtructa ſunt, exceptis Apibus veris et Meliponis noſtris conf. Illig. Mag. V. p. 152-157. I.

913. *A. rufa*, fuſca, abdomine rufeſcente, fronte alba. F. Sp. 483. 53.

Linn. Syſt. Nat. 954. 9. Fn. Sv. 1690.
Apis ſilueſtris Ray. Inſ. 242. 7.
Sulz. Hiſt. Inſ. t. 27. f. 15.
♀ *Anthophora bicornis* Mas. Illig. Mag. V. 125. 72.
Anth. bicornis β. Fabr. S. Piez. 375. 16.
Apis bicornis Mas. Kirby Mon. II. 271. 57.

Abdomen parte prona fere totum nigrum. Antennae corpore dimidio breuiores. Hab. in floribus. Long. 4½ lin.

Femina eius eſt *A. bicornis* Roſſi Mant. 310. I.

914.

914. *A. manicata*, cinerea, abdomine nigro, maculis lateralibus flauis, ano quadridentato. F. Sp. 482. 45.

Linn. Syſt. Nat. 958. 28. Fn. Sv. 1701.
Geoffr. Inſ. II. 408. 3.
Schaeff. Icon. t. 32. f. 11.
☿ *Anthophora manicata* Mas. Illig. Mag. V. 117. 40.
Apis manicata Mas. Kirby Mon. II. 248. 47. tab. 16. fig. 12. 13.
Anthidium manicatum Fabr. S. Piez. 364. 1. *α.*
Apis manicata Femina. Panz. Fn. Germ. 55. tab. 11.

Caput nigrum labio maxillisque flauis. Pedes albo vellere hiſpidi. Facile dignoſcitur. Hab. etiam in hortis frequens. Long. 6¼ lin.

Apis maculata ſequens *Manicatae* femina eſt. Cl. Panzer l. c. Marem feminam putans, illi alius ſpeciei, *Anth. oblongatae* noſtrae, maſculum adſociauit. I.

(p. 104)

915. *A. maculata*, nigra, thorace maculato, abdomine maculis vtrinque ſex transuerſis flauis, ano integro. F. Sp. 482. 48.

☿ *Anthophora manicata* Femina. Illig. Mag. V. 117. 40.
Apis manicata Fem. Kirby l. c.
Anthidium manicatum Fabr. l. c. *β*.
Apis maculata Panz. Fn. Germ. 7. tab. 14.

Caput nigrum ore punctisque verticalibus flauis. Thorax niger, ſubpubeſcens, flauo - marginatus, macula vtrinque duplici flaua ad ſcutellum. Abdomen glabrum, atrum, nitidum maculis vtrinque ſex transuerſis flauis. Femora flaua. Tibiae ſupra flauae, ſubtus nigrae. Alae fuſcae. Hanc eſſe varie-

varietatem *A. manicatae*, vti nonnulli dubitant, ego ipſe olim ſuſpicatus ſum, ſed parum conſentaneum rationi videtur; et potius *A. variegata* F. forte *A. maculatae* mera varietas eſt, nam habitu et magnitudine ſimillimae, etſi ſaepe differant minimis notis. Variare promiſcue videntur maxillis nonnumquam nigris, nonnumquam flauis, nunc puncto, nunc macula flaua pone oculos. Maculae abdominales transuerſae, modo interruptae, modo connatae, inprimis poſticae. Tibiae ſaepius totae flauae. Lana ſub abdomine nunc alba, nunc rufa. Alae ſemper in omnibus fuſcae; eodemque tempore ſimul reperiuntur in floribus.

Occurrit alia fere triplo minor, quae differt tantum fronte magis nigra, minime pubeſcente, labio flauo in medio nigro-punctato, maxillis ſemper nigris. An Operaria?

♀ *Anthophora ſtrigata* Illig. Mag. V. 118. 49.
Trachuſa ſtrigata Panz. Fn. Germ. 86. tab. 14.

Hab. in hortis, temporeque nocturno floribus inhaerent ſaepe plures congregatae. "Vidi eam ſaepius ſub Iulii finem occupatam in abradenda lanugine paginae inferioris foliorum Pyri Cydoniae, eaque accumulata inter pedes, abire. Anus ſemper deſtitutus aculeo punctorio." App. p. 138.

Anthophora variegata ſ. *Anthidium variegatum* Fabricii S. Piez. 366. 7. peculiaris ſpecies eſt, admodum diuerſa. Varietatem ſic dictam triplo minorem, noſtram *Anth. ſtrigatam* eſſe, et in Luſitania nec non in Gallia meridionali occurrentem, mihi nullum dubium eſt. I.

(*p. 105*)

* 916. *A. Scabioſae,* abdomine nigro, ſegmentorum marginibus albis, labio pedibusque flauis.

♀. *Hylaeus Scabioſae* Illig. Mag. V. 57. 33.

Caput nigrum piloſum antennis nigris, primo articulo ſubtus flauo. Os flauum cinereo-pubeſcens. Thorax niger pilis breuibus denſis cinereis tectús. Abdomen glabrum, nigrum cylindricum apice obtuſo craſſiore, ſegmentis omnibus margine albis. Pedes omnes flaui femoribus baſi nigris. Variat magnitudine. Hab. frequens in floribus floſculoſis. Long. 6, 7 lin.

Similis *Hylaeo Arbuſtorum* Panz. Fn. Germ. 46. tab. 14. eſt, neutiquam vero idem, vti Panzerus Nomenclat. in Schaeff. Icon. 46. 19. putat, differt antennis vltra thoracem non pertinentibus, piceonigris, ſcapo ſubtus flauo. Antennas *H. Arbuſtorum* flauas apice nigras non mutari, cl. Panzer ipſe contendit. Ad illum pertinet Apis Geoffroyi n. 13, quam Auctor *A. Scabioſae* ſuae annumerare pronus eſt, quam ideo e citatis eieci. Schaefferi Icon. tab. 32. fig. 19, ab eodem citata, abdomen poſtice latius, cingulis quatuor nec ſex albis pictum, femoraque nigra exhibet, quae antennis ſupra nigris ſubtus fuluis addita, *Hylaeum grandem* Illig. Mag. V. 57. 29. deſignant, inter Germanicos facile maximum, cuius femina capite latiore breuiore clypeo apice labioque concolore, antennis breuibus fractis abdomine ouato, pygidio ſulco medio longitudinali exarato, tibiis nigris fuluo-hirtis differt. I.

* 917. *A. atra,* tota nigra abdomine nitente alis fuſcis. Schrank. E. I. 814.

Tota

Tota nigerrima abdomine ſubrotundo craſſo, nitido. Alae fuſceſcentes baſi excolores. Hab. in floribus. Long. 6 lin.

Haec Apis *Andrena cineraria* Fabricii, cui illam annumerat cl Kirby, eſſe nequit, cum thoracis pubes alba ſit *Cinerariae*, quam nigerrimam *Api atrae* eſſe, e deſcriptione colligimus. *A. atra* Scop. Ent. Carn. 797, cl. Roſſio citata, nobis omiſſa, ad *Andr. cinerariam* omnino ſpectans, Kirbyi opinionem fefelliſſe videtur. *Andr. pilipes* Fabr., ad quam Schrankii *Apem atram* idem cel. Kirby refert, ſarothro albo inſignis eſt, quod Schrankius Roſſiusque tacent. *Andr. carbonaria* Fabr. ſeu *Melitta pratenſis* Kirby thorace albido-pubeſcente differt. *Andr. holomelaenam* Illig. Mag. V 74. 84. Apem Auctoris coniicerem, niſi alae illius totae violaceo-nigrae, nec baſi excolores, obſtarent. I.

* 918. *A. luctuoſa*, aterrima, ſegmentis abdominis omnibus vtroque latere puncto albo. Schrank. E. I. 816.

Apis luctuoſa Scop. Ann. Hiſt. Nat. IV. p. 9.
♀ *Melecta punctata* Illig. Mag. V. 98. 1.
Apis punctata Kirby Mon. II. 219. 35. tab. 16. f. 5.
Apis punctata Panz. Fn. Germ. 35. tab. 22?

Frons hirſuta pilis albis inter antennas. Roſtrum ſiphunculo apice villoſo. Thorax hiſpidus, antice albicans. Abdomen lucidum glabrum maculis vtrinque quatuor lateralibus albis: ſubtus quoque nitens, immaculatum. Tibiae ad baſin albo-maculatae. Margo alarum niger. Maculas albas variationi ſubiectas eſſe monet Scopoli. Adit flores primo vere. Long. 4¾, lat. 5½ lin.

Schrankii inſectum ob ſimillimas ſpecies dubium eſt. I.

(p. 106.)

* 919. *A. muſciformis*, tota nigra pubeſcens, alis fuſco - violaceis.

An *Apis muſcipes* Scop. Ann. Hiſt. IV. p. 12? Minor praecedentibus, et corpore magis agili, minime craſſo. Caput fronte hiſpida nigra. Antennae thoracis longitudine. Thorax pubeſcens. Abdomen fere glabrum, nitidum. Pedes parum villoſi. Alae fuſco - violaceae. Hab. ruri. Long. $4\frac{2}{3}$ lin.

Haec ſpecies mihi non liquet. I.

920. *A. haemorrhoa*, thorace villoſo - ferrugineo, abdomine atro, lateribus glauco - maculatis, ano ferrugineo. F. Sp. 481. 44.

♀ ***Andrena haemorrhoa*** Fabr. S. Piez. 325. 17?
Andrena chryſura Illig. Mag. V. 73. 74?
Melitta chryſura Kirby Mon. II. 172. 110?

Deſcriptio Fabricii repetita. Hab. in hortis. Long. $5\frac{2}{3}$ lin.

Panzeri ***Andr. haemorrhoidalis*** Fn. Germ. 65. tab. 20, quam Fabricius ad ***Haemorrhoam*** ſuam refert, noſtra ***Chryſura*** eſt, at cel. Fabricius idem Panzeri inſectum apud ***Andr. haemorrhoidalem*** S. Piez. 327. 24, licet falſo, allegat. Cl. Latreille H. N. XIV. ***Andr. haemorrhoam*** Fabricii feminam ***Eucerae longicornis*** eſſe ſuſpicatur. Species certe dubia eſt, hinc de citatis addendis dubius eram, cum Auctor deſcriptioni Fabricianae nil adderet. I.

* 921. *A. curuicornis*, nigra, cinereo - pubeſcens, abdomine ſubrotundo, antennis apice intortis.

Eucera longicornis Scop. Ann. Hiſt. Nat. 4. p. 9.

♀ *Sy-*

♀ *Syſtropha ſpiralis* Illig. Mag. V. 146. 1.
Hylaeus ſpiralis Fabr. S. Piez. 320. 6.
Apis floriſomnis Schaeff. Abhandl. III. 125 - 130. tab. 1 - 5.
Schaeff. Icon. tab. 32. fig. 9. 10.

Tota nigricans villo caneſcente pubeſcens. Caput paruum. Antennae tenues apicibus adeo intortis vt capitulum referant. Abdomen ſubrotundum apice ſubtus incuruato. Pedes villoſuli. Alae albae. Hab. in hortis rarior: ſolitaria flores adiens menſ. Iun. et Iul. Long. 4 lin.

Generis *Syſtrophae* characteres l. c. p. 145. dedi. Femina *S. ſpiralis* adhuc latet. Ventris quadriſpinoſi nullam mentionem fecit Roſſi. I.

922. *A. longicornis*, antennis longitudine corporis hirſuti fuluique. F. Sp. 486. 80.
Linn. Syſt. Nat. 953. 1. Fn. Sv. 1684.
Geoffr. Inſ. II. 413. 10.
Eucera longicornis Scop. Ann. Hiſt. Nat. IV. p. 8. L Carn. 794
♀ *Eucera longicornis* Illig. Mag. V. 132. 1.
Eucera longicornis Mas. Fabr. S. Piez. 382. 1.
Femina: *Apis furax* Roſſi Append. 113.
Ap. tuberculata Panz. Fn. Germ. 78. tab. 19.
Andr. ſtrigoſa ibid. 64. tab. 16.

Variat hirſutie thoracis abdominisque cinerea et rufa. In nonnullis ſed rariſſime frons flaua ſub antennis inſtructa obſeruatur petiolis duobus fiſtuloſis, flauis, flaccidis, apice multipapilloſo, ſeu potius tubulis pleno, craſſo, duas fere lineas longis, et ſupra linguam ante labium quieſcentibus, quorum vſus videtur quodammodo eſui inſeruire. "Non fortuito haec Apis interdum gaudet fronte appen-

appendiculata; plures habeo hac eadem nota inſtructas." App. p. 138. Cf. Append. tab. 6. fig. F. Hab. in hortis, frequens in floribus Pomonae. Long. 6 lin.

Apis furax a cel. Roſſio ipſo miſſa, reuera femina huius Eucerae eſt. Petioli duo iſti frontis in nonnullis ſpeciminibus obſeruati, nobis Clauariae videntur. I.

(p. 107.)

* 923. *A. Maluae*, antennis nigris longitudine corporis, thorace cinereo, abdominis ſegmentis, baſi et margine albidis.

♀ *Eucera antennata* Mas. Latr. H N. XIV. 44. 2.
Eucera antennata Fabr. S. Piez. 384. 8?

Fere dimidio minor *A. longicorni*. Tota hirſutie cinerea tecta. Caput nigrum pubeſcens labio flauo, lingua ferruginea ſeptemfida. Thorax magis villoſus. Abdomen ſubrotundum ſegmentis baſi et margine tomento cinereo, ſpatio nigro interiecto, albicantibus. Pedes nigri villoſi tibiis apice ſpinis duabus longis flauis. Alae hyalinae, venulis nigris. Hab. in hortis, copioſa in floribus Maluae arboreae, ibi pernoctans. Long. 4 lin.

Noſtra *Megilla antennata* Mag. V. 141. 35, quam Euceram antennatam Fabricii credidimus, abdominis ſegmentis baſi ſola cano-tomentoſis differt. Eucera Latreillii caeterum Megillis annumeranda eſt. Citatum: *Eucera linguaria* Fabr., quod dubium appoſuit Auctor, plane omiſimus, cum *Euc. linguaria* multum differat ab hac ſpecie. I.

* 924. *A. praecox*, nigra, pallide-rufo-pubeſcens, abdominis ſegmentis margine albis.

A. prae-

A. praecox Scop. Ent. Carn. 804. *Nom. praecox* Ann. Hiſt. IV. p. 46.

Caput, thorax, abdomen baſi albis villis pubeſcentia. Caput craſſum. Maxillae longae apice rufeſcente. Alae hyalinae. Variat fronte denſis, et longioribus villis hiſpida. Primo vere flores adit. Long. 3½ lin.

Anne *Anthophorae* ſpecies? I.

(p. 108.)

* 925. *A. cornigera*, hirſuta, capite thoraceque cinereo, abdomine ſubrufo, fronte bicorni.

♀ *Anthophora cornigera n.*

Statura diuerſa ab *A. bicorni*, qua minor eſt, et colore pilorum omnino diſtincta. Caput minus quam in *A. bicorni*, fronte non nigra, ſed pilis fuſcis rarioribus hirta. Thorax tam ſuperne quam inferne griſeo-cinereus. Abdomen pallide-rufum, non fuluum, vti in *A. bicorni*. Reliqua ſimilia. Hab. in hortis, primo vere frequens. Long. 5, lat. 2 lin.

Ab *Anthophora bicorni* Fabr., cui hanc *Cornigeram* Roſſii adſcripſere, ſpecie differre videtur. I.

* 926. *A. bicolorata*, nigra hirſuta, thorace ſubgriſeo.

Statura *A. ſuccinctae*. Caput nigrum fronte longis aterrimis pilis tecta. Lingua rufa. Thorax denſo griſeo villo hirſutus. Abdomen nigrum lucidum, ouatum. Pedes nigri, hirſuti, ſed multo minus quam in *A. ſuccincta*. Alae hyalinae. Forte *Andrena?* Capta in Cytiſi floribus. Long. 4¼ lin.

Species nobis obſcura. I.

927. *A. centuncularis*, nigra, ventre lana fulua. F. Sp. 484. 59.

Linn. Syſt. Nat. 953. 4. Fn. Sv. 1687.
Geoffr. Inſ. 2. 510. 5.
Reaum. Inſ. 6. t. 10. f. 3. 4.
Schrank. Enum. I. 815.
♀ *Anthophora centuncularis* Illig. Mag. V. 111. 16.
Apis centuncularis Kirby Mon. II. 237. 42.
Anthoph. centuncularis Fabr. S. Piez. 378. 25. Fem.

Nigra, laeuiter tomentoſa in fronte. Margines ſegmentorum abdominis albo-villoſi. Subtus abdomen lana fulua hiſpidum. Hab. in hortis paſſim. Long. 4½, 5 lin.

Scopolii *Ap. centuncularis* Ent. Carn. 799. et Ann. hiſt. 4. 15. alia ſpecies eſt, cf. Kirbyum l. c. I.

(p. 109.)

928. *A. conica*, fuſca, abdomine conico, acutiſſimo, ſegmentorum marginibus albis, ſcutello inermi. F. Sp. 485. 72.

Linn. Syſt. Nat. 958. 32. Fn. Sv. 1705.
Ray Inſ. 252. 4.
Reaum. Inſ. 6. t. 11. f. 2. 3. 4? Schrank. E. I. 809.
♀ *Anthoph conica* Illig. Mag. V. 104. 1.
Apis conica Kirby Mon. II. 224. 37.
Femina: *Anthoph. conicae variet. thorace bidentato.* Fabr. S. Piez. 380. 33. in fine.
Apis bidentata Panz Fn. Germ. 59. tab. 7.
Mas: *Anthoph. quadridentata* Fabr. S. Piez. 379. 32.

Noſtra ſpecimina exacte congruunt cum deſcriptione Linnaeana, nempe habent antennas nigras, ſubclauatas, caput et thoracem pilis cinereis tomentoſum, abdomen conicum acutiſſimum ſegmentorum marginibus albidis; ſubtusque cinctum lineolis quatuor albis. At differunt thorace

ad

ad latera poſtica dentato, dente valido acuto, ſcutello inermi. Alia praeterea ſpecimina habemus ſtatura et habitu, omnino prioribus ſimillima, quae cum habeant abdomen conicum atrum, marginibus inciſurarum quinque albis, anum quadridentatum dentibus intermediis longioribus bifidis, *A. quadridentata* nomine determinari poſſent, niſi nota thoracis poſtice dentati, quae in his etiam occurrit, difficultatem adducere videretur. Neque dubitandum conuenire poſſe cum *A. tridentata* F., nam ſcutellum etſi prominens, tamen inerme, aut ſaltem, quando conſiderare velimus dentes laterales thoracis, certe non tridentatum. Vtrum varietas ſit, aut noua ſpecies iudicent alii. "Apis, quam ſub nomine *Conicae* cum *A. quadridentata* Fabr. coniunximus, certe vna eademque ſpecies eſt, cum differant tantum abdominis apice quadridentato et ſemper cohabitare obſeruentur, ſimul pernoctantes in culmis fruticum plerumque exſiccatis, ſummis eorum apicibus maxillis inhaerentes, corpore anoque ſubtus porrecto antennisque iunctis, demiſſis, extenſis. Somnus grauis. Magnitudo variat." (App. p. 138.) Hab. in floribus. Long. 5 lin.

Cel. Fabricius duarum vere diſtinctarum ſpecierum feminas ſub *Anth. conica* ſua coniungit, quarum alteram Auctor noſter ſecundum Linnaeum aliosque deſcripſit, alteram thorace poſtice inermi inſignem, cel. Kirby ſub *A. inermis* nomine diſtinxit, qui Roſſii *Apem conicam* minus recte *Inermi* annumerat, cum dentes ſcutelli expreſſis verbis commemorati ſint. Panzeri *Apis quadridentata* Fn. Germ. 55. tab. 19. ab *Anth. conica* maſcula

admodum diuerſa, nobis *Anthoph. acanthura* audit. I.

* 929. *A. minutiſſima*, aeneo-viridis, glabra, abdomine pallide-flauo, ſegmentis baſi nigrolineatis.

♀ *Hylaeus? pulchellus* Illig. Mag. V. 58. 63.

Andrena pulchella Jurine Hymen. tab. 11.

Andrena variegata Oliv. Enc. meth. IV. 139. 31.

Caput aeneo-viride, ore, antennisque ſubtus flauis. Thorax aeneo-viridis, nitens. Abdomen ouatum, pallide flauum, ſegmentis baſi nigro-lineatis, ano ſubpiloſo. Pedes flaui femoribus nigris, tibiisque poſticis nigro-maculatis, et albido villo vndique hirſutis. Alae albae hyalinae ad Solem Iridem efficientes. In nonnullis interdum abdominis color ſubniger. Hab. gregaria in floribus Reſedae odoratae media aeſtate, tibiis poſticis pollinem colligens. Long. 1⅙ lin.

Megilla paruula Fabr. S. Piez. 334. 32. huic beſtiolae paruae nitidaeque admodum ſimilis videtur. Sulcum analem longitudinalem, Hylaeis feminis proprium, non vidi, vnde dubium meum de genere ortum eſt. I.

(p. 110.)

CXXVIII. NOMADA.

Os lingua inflexa trifida. *Palpi* poſtici linguaeformes, articulo ſecundo longiſſimo. *Antennae* filiformes.

930. *N. Hiſtrio?* thorace, abdomine, pedibusque albo, nigroque variis ſcutello emarginato. F. Sp. 487. 1.

♀ *Me-*

♀ *Melecta hiſtrionica* Illig. Mag. V. 99. 10.
Nomada ſcutellaris Panz. Fn. Germ. 32. tab. 7. Maris varietas.

Antennae nigrae. Caput nigrum fronte villoſa alba. Thorax gibbus, ater dorſo punctis vndecim albis, et duobus magnis vtrinque ſub alis. Scutellum magnum lamelliforme productum fere vsque ad abdomen apice emarginato lunato, puncto albo. Abdomen atrum primo et ſecundo ſegmento vtrinque macula alba literam C quodammodo referente; reliquis puncto albo notatis. Pedes atri maculis albis. Alae fuſcae.
Videtur apud nos variare magnitudine minori. Tab. A. fig. 7. iconem exhib. Hab. in ſiluis, non raro inueni inſidentem foliis arborum; frequentat etiam flores. Long. 5, lat. 2 lin.

Melecta Hiſtrio Fabr. S. Piez. 385. 1. ex India orientali allata, iuxta deſcriptionem, ſimillima eſt, ob patriam tamen diuerſa videtur. Cel. Roſſii inſectum ſuum cum Hellwigio communicauit. I.

* 931. *N? 12maculata*, nigra, cinereo-villoſa, abdomine atro, punctis vtrinque ſex albis, ſcutello porrecto bidentato.

♀ *Melecta geminata* Illig. Mag. V. 99. 4.

De genere anceps diu haeſi, et adhuc dubito. Diuerſa videtur a *N. ſcutellari.* F. Sp. 487. 2.
Antennae nigrae, breues. Caput nigrum fronte albo-pubeſcente. Thorax niger antice cinereo-pubeſcens. Scutellum porrectum, dentibus duobus inſtructum, qui non apparent niſi pilis abraſis; ſed nec poſtice productum, nec emarginatum. Abdomen atrum, laeue, nitidum, primo ſeg-

ſegmento ad baſin vtrinque faſciculo pilorum albicantium. Secundo et tertio punctis vtrinque duobus; reliquis vtrinque vnico albis, adeo vt puncta abdominis alba, omnino duodecim. Pedes nigri parum villoſi, tibiis macula magna alba. Ani aculeus baſi gibbus, valuis validis paullulum exſertis. Venulae alarum nigrae. Non confundenda videtur cum *A. punctata*, cui ſcutellum integrum, et tibiae baſi cinereo-anulatae, non tantum maculatae vti in noſtra; Fabricium confer. Figura *A. albifrontis* Förſt. N. I. 94. quam Schaefferus exhibet Icon. t. 22. f. 14. etſi habitu ſimilis, diuerſa tamen magnitudine minori, et numero punctorum alborum abdominis.
Capta in floribus Syringae laciniatae. Long. 7, lat. 3 lin.

Noſtra ſpecimina in Luſitania lecta, punctis quatuordecim abdominis gaudent. *Apis albifrons* Forſteri *Melecta punctata* ſ. *Apis luctuoſa* Auctoris eſt, ſub Nr. 918. deſcripta. I.

(*p. 111.*)

* 932. *N. rufa*, glabra, thorace nigro, ruſoque vario, abdomine, antennis, ore pedibusque ferrugineis.
Statura *N. ruficornis*, ſed paullo maior. Lingua breuis trifida. Caput nigrum, ore, linea ante oculos antennisque ferrugineis, thorace parum longioribus. Thorax niger punctis ad collum vtrinque duobus ferrugineis eleuatis, maculaque altera magna ſaturate ferruginea ſub alis in pectore. Ad ſcutellum puncta duo maiuscula, contigua, tuberculoſa rufa. Abdomen ſubpetiolatum gla-

glabrum paullulum reflexum ferrugineum. Pedes ferruginei femorum baſi nigra. Alae ſubferrugineae, apice fuſceſcentes. Hab. in floribus non frequens. Long. 5 lin.

Luſitanica ſpecies nobis eſt, cum deſcriptione *N. rufae* exacte congruens, excepta lineola ſub ſcutelli tuberculis ducta femoribusque totis ferrugineis, coxarum capitulo ſolo nigro. Lineola iſta nullius momenti videtur, et "femorum baſis nigra„ forſan coxae capitulum interpretanda eſt. *Apis ferruginata* Linnaei, quam huc referre pronus eſt Auctor, aliquanto minor, et alia eſt. I.

(p. 112.)

933. *N. ruficornis*, antennis, pedibus, punctisque quatuor ſcutelli ferrugineis, abdomine luteo-variegato. F. Sp. 488. 4.

Caput et thorax nigra; reliqua rufa. Abdomen poſtice luteo variegatum. Hab. in locis ſiluaticis rara. Long. 4 lin.

Nomada ruficornis Fabricii vera thorace ferrugineo nigro-lineato inſignis, haec eſſe nequit, at ob deſcriptionem Auctoris nimis breuem ſpeciem eius determinare non auſus ſum. I.

* 934. *N. flauicornis*, gibba, antennis fuluis, ſcutello bipunctato, abdomine faſciis ſex flauis, primis duabus interruptis.

Statura *N. ruficornis*, at fere dimidio maior. Antennae fuluae articulo primo ſuperius nigro. Caput nigrum flauo-tomentoſum. Os cum maxillis linguaque flauum. Thorax niger, gibbus ſubuilloſus, punctis duobus paruis anticis, puncto ante, et ſub alis biniſque eleuatis contiguis loco ſcutelli flauis. Abdomen ouatum nigrum ſupra

faſciis

faſciis ſex flauis, primis duabus latioribus interruptis. Subtus faſciis nunc quatuor, nunc quinque flauis. Pedes toti flaui, nudi femoribus poſticis interdum baſi ſubtus nigra. Alae ad apicem vix obſcuriores. Append. tab. 7. fig. E. Hab. in floribus rara. Long. 5, lat. 1½ lin.

Icon l. c. faſcias tres anteriores abdominis, nec duas interruptas exhibet. *N. flauicornis* Auctoris, *N. ſexfaſciatae* Panzeri et *Connexae* Magaz. f. *Api connexae* Kirby Mon. I. 149. 19. affinis videtur. I.

CXXIX. FORMICA.

Palpi inaequales articulis cylindricis. *Labium* ſubmembranaceum, cylindricum, truncatum apice palpigerum. *Antennae* filiformes.

Obſ. Formicarum familia admodum numeroſa, et ob ſexum triplicem corporis forma artubusque diuerſum, difficilis, Monographia ſummi Entomologi, celeb. *Latreille*, gloriatur, qui dein in Hiſt. nat. Inſectorum vol. XIII genera e familiis ſuis condidit, nimirum: *Formica, Polyergus, Odontomachus, Ponera, Eciton, Myrmica* et *Cryptocerus*. Cl. Fabricius in nouiſſimo opere, Piezata ſeorſim tractante, plura genera Formicarum inſtituit: *Formica* ſcilicet, *Laſius, Cryptocerus, Atta* et *Myrmecia*. *Cryptoceri* genus vtrique commune, ſane naturale, Europa non fert. A *Formica* Fabricii cum Latreillio *Poneram* ſeparamus. *Atta* Fabr. idem eſt ac *Myrmica* Latr., adiunctis pluribus ſpeciebus, quae petiolo binodi gaudent, cl. Fabricio minus apte *Formicae* adſociatis. Latreillii genus *Eciton*, *Formicae hamatae* niſum, approbare nequeo, ex eadem cauſſa, propter quam *Myrmeciae* genus

genus Fabricianum reiiciendum eſſe opinor. Character enim praecipuus vtriusque generis: mandibulae capite longiores, lineares, a ſe inuicem remotae, parallelae, dicuntur. At inter magnam *Hamatae* copiam, e Braſilia nobis miſſam, ſpecimina occurrunt, caeteris omnibus congrua, mandibulis vero capite breuioribus planis triangularibus, apice inflexis, conniuentibus, quales Formicis eſſe ſolent; ſpecimina alia praecedentibus prorſus ſimilia, at capite minore fuſco diſtincta, Olivierius Enc. VI. 501. ſub *F. vagantis* nomine diſtinxit. Specimina exſiſtunt, qui mandibulis *Hamatae* remotis parallelis inſtructa, eas apice dilatatas inflexas *Vagantis* habent, vere intermedia inter vtramque varietatem. Inde patet, mandibularum formam generibus diſtinguendis in Formicis non ſufficere. *Ecitonem Latreillii* ideo *Attis* Fabr. adſcribo; de *Myrmeciis* Fabr. iudicare non audeo, cum plures mihi ignotae ſint. *Myrm. vniſpinoſa* et *haematoda*, quae forte eiusdem ſpeciei ſunt, Latreillio genus *Odontomachus* conficiunt, mihi nondum ſatis perſpicuum. *Myrm. cordata* Fabr. *Atta* nobis videtur. *Haſtata* et *Emarginata* forſan *Odontomachis* adiungendae; *M. guloſa, forficata* et *eſuriens Ponerae* ſunt e ſyſtemate Latreilliano. Genera *Polyergus* Latr. et *Laſius* Fabr. nobis nondum patent.

Caeterum haec addere licet: Omnes Formicae neutrae ſtemmatibus alisque carent, quibus Mares et Feminae inſtructi ſunt; Feminarum ſpecimina occurrunt, quae alis carent, quas perdiderunt. Quae deſcriptores ſaepius fefellerunt, qui ea neutra credidere, a quibus ſtemmatibus ſcrobiculoque pro alarum radice differunt. I.

935. *F. Herculanea*, nigra, abdomine ouato, pedibus ferrugineis. F. Sp. 488. 1.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 962. 1. Fn. Sv. 1720.
Ray. Inſ. 69.
Scop. Ent. Carn. 382. Schrank. E. I. 831.
☿ *Formica herculeana* Fabr. S. Piez. 394. 1.
Mas: F. microcephala Panz. Fn. Germ. 54. tab. 2.?

Hab. in truncis putreſcentibus, vagabunda.

Cel. Latreille de citato Linnaeano dubitat, at Linnaeus feminae ſpecimina, quae alas amiſerant, deſcripſiſſe videtur, ſatis frequentia. Caeterum hanc ſpeciem Germaniae boreali indigenam nec Europae auſtraliori propriam, in Suecia quoque occurrere facile crediderim. I.

(*p. 113*)

936. *F. rufa*, nigra, thorace compreſſo, pedibusque ferrugineis. F. Sp. 489. 6.

Linn. Syſt. Nat. 962. 3. Fn. Sv. 1721.
De Geer Inſ. 2. 2. tab. 41. fig. 1. 2.
Geoffr. Inſ. 2. 428.
Scop. Ent. Carn. 836. Schrank. E. I. 834.
☿ *Formica rufa* Fabr. S. Piez. 398. 11.
Femina: F. dorſata Panz. Fn. Germ. 54. tab. 1.

Hab. in aceruis aceroſis ſiluaticis, pungens aculeo obſoleto.

937. *F. nigra*, nigra, nitida, ano piceo. F. Sp. 489. 8.

Linn. Syſt. Nat. 963. 5. Fn. Sv. 1723.
Geoffr. Inſ. 2. 429.
De Geer Inſ. 2. 2. tab. 42. fig. 16.
Scop. Ent. Carn. 834. Schrank. E. I. 832.
☿ *Laſius niger* Fabr. S. Piez. 415. 1.

Hab. ſub terra.

Species mihi nondum ſatis nota, de genere ideo *Laſius*, ex illa enato, nil exiſtimare audeo. I.

938.

938. *F. Caeſpitum*, nigra, abdominis petiolo binodi, ſcutello bidentato. F. Sp. 491. 21.
Linn. Syſt. Nat. 963. 11. Fn. Sv. 1726.
De Geer Inſ. 2. 2. tab. 43. fig. 21.
Formica Binodis Linn. Amoen. Acad. 9. 413. 94.
Scop. Ent. Carn. 837. Schrank. E. I. 836.
☿ *Atta Caeſpitum* Muſ. Hellw. Hoffm.
Myrmica Caeſpitum Latr. H. N. XIII. 259. 3.
Formica Caeſpitum Fabr. S. Piez. 406. 46.
Hab. in pratis ſiccioribus.

(p. 114.)

CXXX. MVTILLA.

Palpi inaequales articulis obconicis. *Labium* porrectum corneum, obconicum, gibbum, apice palpigerum. *Antennae* filiformes.

Obſ. Mutillarum hiſtoria nondum explicata eſt, imo ſexus earum adhuc latet. Cel. Latreille in opere ſuo nouiſſimo ſpecimina alata Mares, aptera Feminas credit; alii Mutillas alatas et apteras ſpecie diſtinctas eſſe contendunt; aliis aptera Neutra ſunt. Experientia ſola huius litis iudex eſt; nullus Auctor, quantum ſciam, has beſtiolas in coitu deprehenſas obſeruauit, quod ſolum controuerſiam transiget. Illi, qui apteras ab alatis ſpecie diſtinctas eſſe volunt, hoc praeſertim vrgent, quod illarum tanta ſpecierum varietas occurrat, cum alatarum numerus parcior ſit, de quo conuenire coactus ſum. In Muſeo Hellwig. Hoffmanseggiano XXXIV ſpecies apterae adſunt, et XV tantum alatae. Dein obiiciunt, tantum intereſſe inter alatas et apteras, vt, experientia priuati certe deſperent, feminis ſingulis apteris mares ſuos alatos adiungere. Quibus talia fere reſpondeo. Multorum Piezatorum

mares

mares a feminis diſtinguuntur antennis tredecimarticulatis, abdominisque ſegmentis ſeptem, cum feminis articuli antennarum modo duodecim, ſegmenta dorſalia ſex ſint. Apes, Veſpae, et multi alii ſic pro ſexu differunt. Idem in Mutillis obſeruo; alatae antennis et abdomine Maribus, apterae iisdem partibus Feminis illis correſpondent, quae poſteriores inſuper aculeatae reperiuntur. Neutrae ne haberi poſſint, hae Mutillae apterae, inde patet, quod tunc nulla Mutillarum femina exſiſteret, omnia enim ſpecimina alata ex antennarum articulorum dorſique ſegmentorum numero mares cognoui. Naturae ſcrutatores ideo ad obſeruandas Mutillarum ſpecies inuitamus, vt Feminis tandem Mares ſui adſocientur, earumque hiſtoria demum emendetur.

Mutillae omnes apterae ſ. Feminae oculis minoribus ſimplicibus ſolis gaudent; alatae ſ. Mares oculis compoſitis: aliae vero: e. c. *Hottentotta* Fabr. *Lugubris* F. *Italica* F. iisdem integerrimis; aliae, vt *M. atrata* F. *Ruficollis* F. *Pedemontana* F. oculis interius ſinu emarginatis inſtructae ſunt. I.

939. *M. Europaea*, nigra, thorace rufo, abdominis ſegmentis margine albis. F. Sp. 495. 7.

♀ *M. indigena* Muſ. Hellw. Hoffm.

M. europaea Fabr. Ent. Syſt. 2. 368. 9.

Aptera. Corpus hirſutum. Caput nigrum, punctulatum. Antennae nigrae capite paullo longiores. Oculi exigui nigri nitidi. Thorax rufus parallelepipedus. Abdomen nigrum conicum ſegmento primo breui albo marginato villis albo aureis in medio disiunctis. Secundo (quod maximum eſt) et reliquis apice *) albo-aureo villo ſimiliter mar-

*) "apice" pro "baſi", quod textus habet, procul dubio legendum eſt. I.

marginatis. Pedes nigri villoſuli, tibiis ſubrufis. Aculeus longus ferrugineus.

Hab. frequens in campis ſiluaticis arenoſis. Long. 5, 6, 7 lin.

M. europaeae Linn. verae ſegmenta tria anteriora tantum margine villis pallido-micantibus cincta ſunt, et quidem ſegmenti ſecundi et tertii marginibus in medio late interruptis; ſegmenta dein ſequentia nigra immarginata ſunt. Fabricius in Entom. ſyſtem. aliam deſcripſit eandem, quam Auctor noſter exhibet, cui ſegmenta omnia marginibus pallido-villoſis continuis cinguntur; in Syſtemate Piezatorum autem Cel. Fabricius *M. europaeam* Linnaei ſuam fecit, quod e differentia ſpecifica patet. Cl. Latreille in Monographia Mutillarum Galliae Act. Soc. d'Hiſt. nat. I. n. 2. (Reich Magaz. d. Thierr. I. 85. 2.) vtramque ſpeciem confundit. *Europaeae* Linnaeanae marem tribuunt, quem Panzer Fn. Germ. 76. tab. 20. ſub *M. europaeae* nomine depinxit, Linnaeus ſub *M. atratae* varietate alata S. N. II. 966. 5. Fabricius ſub *M atrata* S. Piez. 431. 14. deſcripſere. *M. indigenae* marem nondum vidi. Citata Auctori allata: Linné, Udmann, Sulzer, Schrank omittenda erant, *Europaeam* Linnaei pertinentia. I.

940. *M. Maura*, nigra, abdomine maculis quatuor albis, thorace rufo. F. Sp. 495. 10.

Linn. Syſt. Nat. 967. 6.

♀ *M. Maura* Fabr. S. Piez. 431. 15.

Panz. Fn. Germ. 46. tab. 18.

Latreille Act. Soc. d'H. N. I. n. 4.

Latreille Reich. Magaz. d. Thierr. I. 86. 4.

Coqueb. Ill. 67. tab. 16. fig. 7.

Mea

Mea ſpecimina forte variant capite nigro, faſcia frontali ex pilis alba; in reliquis omnino conueniunt cum *M. Maura*.

Hab. cum praecedente rarior. Long. 4½, lat. 1¼ l.

Coquebert l. c. fig. D. E. F. varietatem e Barbaria inde a Cl. Desfontaines allatam depinxit, non eandem, cuius mentionem fecit cel. Fabricius in Ent. ſyſt. 2. 369. 12. ſed illam, quam deſignat Auctor, quae neutiquam Barbariae propria eſt, vti Coquebert putat, ſed in Germania quoque occurrit. I.

(p. 115.)

941. *M. rufipes*, hirta, nigra, antennis thoraceque rufis, abdomine puncto, faſciisque duabus approximatis albis. F. Mant. 312. 16.

♀ *M. rufipes* Fabr. S Piez.. 439. 38.

Latreille Act. Soc. d'H. N. I. 6. Reich. Magaz. 87. 6.

M. ſellata Panz. Fn. Germ. 46. tab. 19.

Deſcribit eam Fabricius.

In meis caput nigrum macula alba frontali. Alia ſpecies ab hac diſtincta occurrit apud nos frequens, quae magnitudine fere aequat *M. Europaeam*, ſed praeter antennas, quae in hac nigrae ſunt, adeo praecedenti *Rufipedi* ſimilis, vt ſatis diſtinguere nullo modo potuerim.

Hab. cum praecedentibus frequens. Long. 2, lat. ½ lin.

Maculam albam frontalem in ſpeciminibus integris ſemper obſerues. Latreille H. N. XIII. 264. 2 *Mutillam Ephippium* Fabr. S. Piez. 434. 27. Panz. Fn. Germ. 46. tab. 20. *Mutillae rufipedis* marem eſſe coniicit. Quae *M. Ephippium* in Mantiſſa noſtra enumeranda, *Myrmoſa Ephippium* Jurine Hymen. tab. 9. eſt, Fabricio ſub *Hylaei thoracici* nomine Syſt. Piez. 320. 5. iterum deſcripta.

Spe-

Speciem illam, quam commemorat cel. Roſſi, dein in Mantiſſa 331. ſub *M. coronatae* nomine diſtinxit. I.

CLASSIS QVARTA.

A G O N A T A.

Os palpis quatuor aut ſex. Maxilla inferior nulla.

CXXXI. Gen. Cancer, Pagurus, Scyllarus, Aſtacus, Squilla, Gammarus

omittimus, nam ore Maris Thyrreni, quae ſpectat prouinciam Piſanam horum generum inops; et *C. Pagurus*, *Pag. Bernhardus*, *Eremita, Caput mortuum, Aſt. marinus, fluuiatilis, Squilla, Sq. Mantis, Gam. Locuſta*, *Pulex*, a multis fuſe lateque deſcripta, praeſertim a Scopolio, et iam nunc nemini ignota.

(p. 116.)

CLASSIS QVINTA.

V N O G A T A.

Os palpis duobus. Maxilla inferior ſaepius vnguiculata.

CXXXVIII. LIBELLVLA.

Labium trifidum lacinia dorſali minutiſſima.

942. *L. depreſſa*, alis omnibus baſi nigricantibus, abdomine depreſſo, lateribus, flauicante. F. Sp. 519. 2.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 902. 5. Fn. Sv. 1463.
Scop. Ent. Carn. 678. Schrank. E. I. 597. Pod. M. G. p. 95.
Reaum. Inſ. 6. tab. 35. fig. 1.
Roeſ. Inſ. 2. Aquat. tab. 6. fig. 4. tab. 7. fig. 3.
♀ *L. depreſſa* Fabr. Ent. Syſt. 2. 373. 2.
Latreille H. N. XIII. 12. 3.
Panz. Fn. Germ. 89. tab. 22.
Geoffr. Inſ. II. 225. 7. *l'éléonore* 8. *la philinte.*

Colore variat. Mas abdomine triquetro lanceolato, coeruleſcente, maculis lateralibus baſeos flauis. Femina abdomine fuſco lateribus flauis. Hab. ad aquas ſtagnantes. Long. 19 lin.

Cel. Latreille l. c. mares alis baſi immaculatis eſſe contendit; equidem eorum alas eodem modo, quo feminarum, maculatas obſeruo Geoffroyi *Sylvie* Inſ. II. 226. 9., quam allegant, diuerſam credo ſpeciem, at *Eleonora* eius, quam ſequenti adſcripſere, huc ſpectat. I.

943. *L. flaueola*, alis baſi luteis. F. Sp. 520. 5.
Linn. Syſt. Nat. 901. 2. Fn. Sv. 1460.
Schrank. E. I. 596. Pod. M. G. p. 95.
♀ *L. flaueola* Fabr. Ent. Syſt. II. 375. 6.

Dorſum luteum. Subtus tota nigra. Alae baſi luteae macula marginali nigricante. Variat rarius alis absque baſi lutea. Apex etiam alaram interdum ſubfuſcus. Hab. cum priori. Long. 16 lin.

(p. 117.)

944. *L. rubicunda*, alis tantum poſticis baſi nigricantibus corpore teſtaceo. F. Sp. 521. 10.
Linn. Syſt. Nat. 902. 4. Fn. Sv. 1462.
Ray. Inſ. 50. n. 8. Pod. M. G. 95.
Roeſ. Inſ. 2. Aquat. 2. tab. 8. fig. 4.

♀ *L. rubicunda* Fabr. Ent Syſt. II. 377. 13.
Cl. Müller in Fn. Frid. habet *L. rubicundam*, *ſanguineam* et *rubram* forte adhuc non ſatis bene diſtinctas. Apud nos duae quidem occurrunt, nempe *L. rubicunda* et *rubra* Müll. l. c. pag. 62. 550. quae ſpecies diuerſae videntur: vna enim ſtaturam et magnitudinem habet *L. depreſſae:* altera abdomen magis anguſtum cylindricum. Et in hac ſpecie facile videre eſt ſub Iulii finem corpuſcula quaedam ouiformia ſubtus concaua et alis plerumque inhaerentia, quae contuſa humorem effundunt ſanguineum tingentem a De Geer, Reaumurio, aliisque deſcripta ſub nomine *Acari Libellulae* aut *Gymnopterorum*.
Hab. in hortis frequens. Long. 15 lin.

L. rubicunda noſtra paraſtigmate (ſic alarum maculam coſtalem opacam in neuropteris voco) breuiore et latiore fere ſubquadrato ochraceo ab affinibus differt, et cum *L. depreſſa* confundi nequit, cuius varietatem eam credere pronus eſt Latreille. In Libellulis alae praeſertim obſeruandae ſunt, minus variantes, ac vulgo putant. I.

945. *L. vulgatiſſima*, thorace flauo, ſtriis octo nigris. F. Sp. 521. 12.

Linn Syſt. Nat. 502. 6. Fn. Sv. 1464.

Libellula lateribus flauis, alis albis Geoffr. Inſ. 2. 227. 11. Roeſ. Aqu 2. t. 5. f. 3.

♀ *L. vulgatiſſima* Fabr. Ent. Syſt. II. 377. 14.

Latera thoracis et abdominis flaua. Alae albae puncto marginali ferrugineo. Hab. ad aquas frequens. Long. 17 lin.

(p. 118.)

CXXXIX. AESHNA.

Labium trifidum, laciniis aequalibus, lateralibus apice fiſſis.

946. *A. forcipata*, thorace nigro, characteribus flaueſcentibus, cauda vnguiculata. F. Sp. 525. 1.

Libellula forcipata Linn. Syſt. Nat. 903. 11. Fn. Sv. 1469.
Geoffr. Inſ. 2 228. 13.
De Geer Inſ. II. 2. 685. t. 21. f. 1.
Reaum. Inſ. 6. t. 35. f. 5.
Schrank. E. I. 598.
Schaeff. Icon t. 160. f. 1. t. 186. f. 1.
♀ *A. forcipata* Fabr. Syſt. II. 383. 1.
Panz. Fn. Germ 88. tab. 21.
Latreille H. N. XIII. 8. 5.

Hab. ad aquas. Long. 22 lin.

947. *A. grandis*, thorace lineis quatuor flauis corpore variegato. F. Sp. 525. 2.

Libellula grandis Linn. Syſt. Nat. 903. 9. Fn. Sv. 1469.
Geoff. Inſ. 2. 227. 12.
De Geer Inſ. 2. 2. 678. t. 20. f. 6.
Scop. Ent. Carn. 677. Schrank. E. I. 599.
Reaum. Inſ. 6. t. 35. f. 3.
Sulz. Inſ. t. 17. f. 101.
Roeſ. Inſ. Aqu. 2. t. 4. f. 14.
Schaeff. Icon. t. 2. f. 4. t. 60. f. 1.
♀ *A. grandis* Fabr. Ent. Syſt. II. 384. 2.

Colores corporis pulchre variegati cum vita pereunt. Hab. ad aquas. Long. 28, 30, 32 lin.

CXL.

(p. 119.)

CXL. AGRION.

Labium quadrifidum.

948. *A. virgo*, alis erectis coloratis. F. Sp. 526. 1.

Libellula virgo Linn. Syſt. Nat. 904. 20. Fn. Sv. 1470.

α. *Libellula* corpore viridi-coeruleo nitido, alis medio coeruleſcentibus, baſi et apice albis margine immaculato.

Geoffr. Inſ. 2. 221. 1.
Roeſ. Inſ. 2. Aqu. 2. t. 9. f. 7.
Schaeff. Elem. t. 78. f. 1.

β. *Libellula* corpore ſericeo nitido, alis viridi-coeruleſcentibus apice fuſcis, margine immaculatis.

Linn. Syſt. Nat. 757. 1. Fn. Sv. 1470.
Ray. Inſ. 50. n. 10.
Reaum. Inſ. 6. 35. f. 7.

γ. *Libellula* corpore viridi-coeruleo, alis ſubfuſcis, puncto marginali albo.

Linn. Fn. Sv. 1. 758.
Geoffr. Inſ. 2. 122. 2.
Roeſ. Inſ. 2. Aqu. 2. t. 9. f. 6.
Ray. Inſ. 51. 12.
Pod. M. G. p. 97.

* δ. Specimen habemus heic recenſendum ſtatura et habitu prioribus ſimillimum, corpore toto nigro, alis aterrimis nitidis, baſi tantum excolore, margine immaculatis. Mas. Diuerſa videtur a varietate δ. Linn. Fn. Sv. 1. 759. Lecta in horto Agrario Florent. menſ. Oct

♀ *Agrion Virgo* Fabr. Ent. Syſt. II. 386. 1.
Panz. Fn. Germ. 79. tab. 17. 18.

Hab. ad aquas fluentes. Long. 20 lin.

Alarum figura earumque nerui pluribus ſub *A. Virgine* comprehenſis varietatibus nimis discrepant. I.

(*p. 120*)

949. *A. puella*, alis erectis hyalinis. F. Sp. 527. 2.

Libellula Puella Linn. Syſt. Nat. 905. 21. Fn. Sv. 1471.

α. *Libellula* corpore coeruleo cinereoque alterno, alis puncto marginali nigro.

Geoffr. Inſ. 2. 222. 3.

Reaum. Inſ. 6. tab. 40.

Roeſ Inſ. 2. Aqu. 2. tab. 10. fig. 3. 4.

Schaeff. Icon. tab. 120 fig. 4. 5. 6.

β. *Libellula* corpore infra coeruleo-viridi, ſupra fuſco, thorace faſciis coeruleſcentibusque alternis, puncto alarum marginali nigro.

Geoffr. Inſ. 2. 223. 4.

γ. *Libellula* corpore viridi, pallide incarnato, thorace faſciis tribus longitudinalibus nigris, alis puncto marginali fuſco.

Geoffr. Inſ. 2. 224. 5.

♀ *Agrion Puella* Fabr Ent. Syſt. II. 387. 2.

Hab. in prātis et hortis victitans rapina Muſcarum.

CXLI. IVLVS.

Labium crenatum, emarginatum. *Antennae* clauato-moniliformes.

950. *I. terreſtris*, pedibus vtrinque 100. F. Sp. 529. 4.

Linn. Syſt. Nat. 1065. 3. Fn. Sv. 2066.

Geoffr. Inſ. 2. 679.

Iulus

Iulus faſciatus De Geer Inſ. 7. 578. 2.
Scop. Ent. Carn. 1152.
Schrank. E. I. 1126. Pod. M. G. p. 127.
♀ *Iulus terreſtris* Fabr. Ent. ſyſt. II. 393. 8.
Latreille H. N. VII. 73. 1.

Variat magnitudine et colore. Hab. ſub terra praegnante, ſub ſaxis, vbique.

Iulorum ſpecies pedum numero minus apte diſtinguuntur. Sub *Terreſtris* nomine plures confundunt; cf. Latreillium l. c. I.

(*p. 121*)

951. *I. complanatus*, pedibus vtrinque 30, corpore planiuſculo. F. Sp. 529. 5.
Linn. Syſt. Nat. 1065. 4. Fn. Sv. 2068.
De Geer Inſ. 7. 586. 3. tab. 36. fig. 23.
Geoffr. Inſ. 2. 675. 3.
Iulus ſubcylindraceus Gronov. Zooph. 1007.
Scolopendra Iulacea Scop Ent. Carn. 1150.
Schrank. E. I. 1127.
♀ *Polydesmus complanatus* Latreille A. N. VII. 79. 1.
Iulus complanatus Fabr. Ent. ſyſt. II. 393. 2.

Hab. in locis humidis, ligno putrido.

CXLII. SCOLOPENDRA.

Palpi filiformes inter maxillas connati. *Labium* dentatum fiſſum. *Antennae* ſetaceae.

952. *S. forficata*, pedibus vtrinque 15. F. Sp. 532. 3.
Linn. Syſt. Nat. 1062. 3. Fn. Sv. 2064.
Geoffr. Inſ. 2. 674. 1. tab. 22. fig. 3.
De Geer Inſ. 7. 557. 1. tab. 35. fig. 12.
Scop. Ent. Carn. 1146. Schrank. E. I. 1123. Pod. M. G. 126.

Sulz.

Sulz. Inſ. tab. 24. fig. 155.
Schaeff. Elem. tab. 111. fig. 1. Icon. t. 46. f. 12.
♀ *Scolopendra forficata* Fabr. Ent. ſyſt. II. 390. 4.
Panz. Fn. Germ. 50. tab. 13.

Ruſo-fuſca. Antennae ſetaceae, craſſiuſculae articulis plusquam 36. Caput depreſſum, marginatum, baſi truncatum, fronte occupata ab antennarum baſi. Maxillarum paria duo, inferiore maiore. Corporis ſegmenta nouem. Pedes vtrinque quindecim, poſticis duobus multo longioribus. Hab. in ſiluis ſub ſaxis, ſub arborum cortice frequens. Long. 9, 10 lin.

(p. 122.)

* 953. *S. lineata*, alba, fuſco-lineata, pedibus vtrinque 14 elongatis albis violaceo-interſectis, vltimo caudali longiſſimo.

S. nigricans pedibus vtrinque 14 albo nigroque interſectis. Geoffr. Inſ. 2. 675. 2. niſi eadem, huic noſtrae valde affinis videtur.

♀ *Cermatia lineata* Muſ. Hellw. Hoffm.
Scutigera araneoïdes Latr. H. N. VII. 88. 1.
Iulus araneoïdes Pallas Spic. Zool. IX. tab. 4. fig. 16.

Habitus *S. forficatae*, at pedes multo longiores. Pallida lineis tribus longitudinalibus fuſcis, vna vtrinque marginali, altera dorſali a capite ad anum productis. Antennae ſetaceae flaueſcentes longitudine corporis, et ante medium articulatae. Palpi longi filiformes ſpinoſi. Maxillae inferiores lateraliter ſub ore inſertae acutae pallidae, apice nigrae. Oculi nigri. Corporis ſegmenta octo tecta clypeolo ſemiorbiculato, poſticeque emarginato. Pedes vtrinque 14 albi, violaceo

laceo faſciati geniculis triſpinoſis: ſex poſtici, lineas decem longi; vltimumque par caudale longiſſimum, nempe longum lineas viginti. Tarſi articulis innumeris, ſed vix, oculo armato, conſpicuis. Fragiliſſima. Magnitudine variat, et color violaceus in cadauere fuſcus euadit.

Hab. in locis humentibus: et ingruente pluuia ſaepe occurrit in muris domeſticis. Long. 10, lat. 1½ lin.

Noſtrum inſectum ill. Comes ab Hoffmansegg ex Hungaria attulit, vbi in domorum muris veſperi reptans incolis terrorem incutit. Pallaſii inſectum noſtro maius et in mari captum eſt, quod ſingulare, forte caſu accidit. Genus ill. Lamarckio nomine minus apto *Scutigera* appellatum, nobis iam prius *Cermatia* fuit, (a κερμα, i. e. corpus in ſegmenta plura ſectum). Cel. Latreille in eo autem errat, quod *Scolopendram coleoptratam* Linnaei et Fabricii hanc *Cermatiam lineatam* credat, cum vera Scolopendra ſit. Fabricius, *Iulum araneoïdem* Pallas perperam ſuae Scolopendrae adſcribens, eum in hunc errorem induxit. Geoffroyi Scolopendra n 2. noſtrum inſectum eſt, cuius morſum aliis inſectis lethalem obſeruabat Latreille. I.

(*p. 123.*)

954. *S. morſitans*, pedibus vtrinque 20 oculis octo. F. Sp. 532. 5.

Linn. Syſt. Nat. 1068. 5. Amoen. Acad. 1. 325. 506. De Geer Inſ. 7. 563. 1. t. 43. f. 1.
Sulz. Hiſt. Inſ. t. 30. f. 14. Gronov. Zooph. 1002.

Cum numerum pedum in hoc genere infidum eſſe fundamentum Linnaeus, De Geer, Schrankius, aliique afferant, dubitaui vtrum mea ſpecimina colore viridi-flaueſcente, et pedibus vtrinque 21 com-

computatis caudalibus conſtanter inſtructa, ad *S. ferrugineam* De Geer Inſ. t. 43. f. 6. potius eſſent referenda. Sed comparata haec noſtra cum *S. morſitante Indica* (ſi oculis fides) magnitudine excepta, ab ea nihil differt. Deſcriptiones Gronouii et De Geer *S. morſitantis* etiam huic competunt. Praetereaque oculi vtrinque quatuor approximati, et in capitis margine ſiti: ſegmenta corporis 21, antennarum articuli 19 ſ. 20 pedesque caudales reliquis non multo longiores articulo primo corpus verſus ſpinoſo, affinitatem maximam cum *S. morſitante* ſatis comprobare viſa ſunt. Longitudo admodum variat. Perilluſtris ac cultiſſima femina D. Stephens, quae plures commorata eſt annos in Iamaica, cum in mea collectione hanc vidiſſet, illico recognouit eam et Americanae omnino ſimilem eſſe affirmauit. Morſus apud nos vix venenatus, nec magis pertimeſcendus quam *Apis* punctura. Hab. ſub ſaxis et in ligno putreſcente Florentiae. Long. 25, 40, lat. 2½ lin.

E Luſitania huius Scolopendrae ſpecimina nobis ſunt omnis menſurae; minora *Scol. forficata* vix longiora ſunt, et maxima *Sc. morſitantem* Indiae aequant, quatuor pollices longa. Colore variant, nunc viridia antennis ano eiusque pedibus rutilo-luteis; nunc viridia, antennis faſcia ſinguli ſegmenti, ano, pedibus corporeque inferiore giluis; nunc brunnea antennis pedibusque caeruleo-viridibus, corpore ſubtus luteſcente; nunc oliuaceo-fuſca aut ſubferruginea artubus pallidioribus. Quomodo a *Morſitante* indico differant, nondum vidi. I.

955.

955. *S. electrica*, pedibus vtrinque 70, corpore lineari. F. Sp. 533. 10.
Linn. Syſt. Nat. 1063. 8. Fn. Sv. 2065.
Geoffr. Inſ. 2. 676. 4.
De Geer Inſ. 7. 561. 2. t. 35. f. 17.
Ray. Inſ. p. 45.
Friſch Inſ. 11. p. 22. t. 8. f. 1. 2.
Gronov. Zooph. 1005. Pod. M. G. p. 126.
♀ *Scolopendra electrica* Fabr. Ent. ſyſt. II. 391. 10.
Hab. in ſtercoratis, ſub terra, in tenebris phosphorea.

(*p. 124.*)
956. *S. Gabrielis*, pedibus vtrinque 148. F. Sp. 533. 9.
Linn. Syſt. Nat. 1063. 7.
♀ *Scolopendra Gabrielis* Fabr. Ent. ſyſt. II. 392. 13.
Facies *S. electricae*, ſed quadruplo maior. Antennae breues duas lineas longae, articulis 14, quibus vtitur ad tentandam ſemitam. Cauda ſemiovalis cum appendiculo, et tentaculis duobus vix cauda longioribus. Sub abdomine linea longitudinalis ſanguinea. Magnitudo admodum variat. Specimina habeo longa pollices octo et vltra, lata $1\frac{1}{6}$ lin.
Hab. in hortis frequens ſub terra praegnante, et in arborum carie. Long. 30, 36, lat. $\frac{2}{3}$ lin.

CXLIII. TROMBIDIVM.

Palpi incurui apice acutiſſimi, os tegentes. *Labium* concauum maxillas recipiens.

957. *T. holoſericeum*, abdomine ſanguineo depreſſo, tomentoſo, poſtice retuſo, terreſtris. F. Sp. 534. 2.

Acarus

Acarus holoſericeus Linn. Syſt. Nat. 1025. 22. Fn. Sv. 1979.
Geoffr. Inſ. 2. 624. 7.
Acarus holoſericeus De Geer Inſ. 7. 136. 22. tab. 8. fig. 12. 13.
Scop. Ent. Carn. 1068. Pod. M. G. p. 121.
Roeſ. Inſ. 3. tab. 25.
Schaeff. Icon. t. 27. f. 3.
♀ *Trombidium holoſericeum* Fabr. Ent. ſyſt. II. 398. 2.

Magnitudo fere *A. Ricini*. Corpus rotundatum antice latius, ſubtruncatum, poſtice emarginatum lateribus laeuiter ſinuatum. Totum lamellis rubris minutis pilorum loco iisque erectis veſtitum. Pedes vtcumque longi denſe pilis, ſeu lamellis rubris tecti articulis ſex conſtant, extimo articulo vnguis duplex infixus eſt. Nouit inſectum hunc vnguem retrahere, vti feles ſuum, apicesque craſſiores reddere. Antennae ſeu potius tubi ſuctorii articulis quinque conſtant, ab inſecto deorſum inflectuntur. Illud in illis ſingulare quod articulo eorum tubulorum tertio ſubtus corpus ouatum rubrum affixum ſit. Oculi nulli viſibiles. Color coccineus. Inceſſus lentus. Victus, cadauera minuta putreſcentia. Schrank. E. I. 1064.
Hab. in terra, ſed paſſim, occurrit.

(p. 125.)

958. *T. aquaticum*, abdomine ſanguineo, depreſſo, tomentoſo, poſtice obtuſo, aquaticus. F. Sp. 535. 3.
Acarus aquaticus Linn. Syſt. Nat. 1025. 21. Fn. Sv. 1978.
Geoffr. Inſ. 2. 625. 8.

De

De Geer Inſ. 7. 141. 24. tab. 9. fig. 2. 4. fuſe, optimeque deſcripſit.

Pod. M. G. p. 121.

Sulz. Inſ. tab. 22. fig. 147.

Roeſ. Inſ. 3. tab. 25.

♀ *Trombidium aquaticum* Fabr. Ent. ſyſt. II. 399. 3.

Oculi duo nigri. Antennae ſine appendiculo. Corpus globoſum, laeue, laeuiſſime depreſſum. Pedes natatorii. Schrank. E. I. 1063. Hab. in aquis puris, velociter natans, oua rubra in *Nepis* ponens.

(p. 126.)

CXLIV. ARANEA.

Obſ. Ab Araneis cel. Latreille duo genera diſtinxit: *Mygalen* et *Atypum*; idem ſummus Entomologus et cl. Walckenaer in opere *Faune Pariſienne* genus numeroſum Aranearum in familias plures admodum naturales distribuere. I.

Palpi incurui, maris clauati. *Labium* breue, apice rotundatum.

959. *A. extenſa*, abdomine longo argenteo vireſcente, pedibus longitudinaliter extenſis.. F. Sp. 536. 1.

Linn. Syſt. Nat. 1033. 22. Fn. Sv. 2011.

Aranea Retiaria De Geer Inſ. 7. 236. 10.

Geoffr. Inſ. 2. 642. 3.

Ray. Inſ. 19. 3. Liſter Aran. fig. 3.

Schrank. E. I. 1097.

♀ Fabr. Ent. ſyſt. II. 407. 1.

Latreille H. N. VII. 249. 48.

Schaeff. Icon. tab. 49. fig. 7. 8. tab. 113. fig. 9.

Pe-

Pedes liuidi: Anteriores quatuor antrorſum, quatuor poſteriores retrorſum extendit. Hab. in vliginoſis frequens. Long. 3, lat. ¾ lin.

960. *A. viatica*, abdomine ſubrotundo plano, obtuſo, pedibus quatuor poſticis breuiſſimis. F. Sp. 538. 12.

Linn. Syſt. Nat. 1026. 43. Fn. Sv. 2024.
Geoffr. Inſ. 2. 641. 1.
De Geer Inſ. 7. 301. 31. tab. 18. fig. 23.
Liſter Aran. fig. 29. Schrank. E. I. 1109.
Schaeff. Icon. tab. 189. fig. 7.
♀ Fabr. Ent. ſyſt II. 412. 20.
Latreille H. N. VII. 288. 121.

Femina maior propriis ouis incubans. Hab. in arboribus, lignis. Long. 2½, lat. 1 lin.

(p 127.)

* 961. *A. citrea*, citrino-lutea, pedibus quatuor poſticis breuiſſimis, abdomine vtrinque faſcia ferruginea.

Geoffr. Inſ. 2. 642. 2. tab. 21. fig. 1.
De Geer Inſ. 7. 298. 30. tab. 18. fig. 17.
Schaeff. Icon. tab. 19. fig. 13.
♀ Latreille H. N. VII. 285. 113.

Accedere videtur ad *A. 4lineatam* Linn. Syſt. Nat. 1032. 13.
Hab. in hortis frequens; inuenta etiam in Roſae floribus. Long. 4, lat. 2½ lin.

962. *A. domeſtica*, abdomine ouato fuſco, maculis nigris quinque ſubcontiguis, anterioribus maioribus. F. Sp. 538. 13.

Linn. Syſt. Nat. 1031. 9. Fn. Sv. 2000.
De Geer Inſ. 7. 264. 19. t. 15. f. 11.
Aranea Derhamii Scop. Ent. Carn. 1104.

♀ Fabr.

♀ Fabr. Ent. ſyſt. II. 412. 21.
Latreille H. N. VII. 227. 17.

Hab. in domibus vulgatiſſima.

* 963. *A. cucurbitina*, abdomine ſubgloboſo flauo: punctis quibusdam nigris.

Linn. Syſt. Nat. 1030. 3. Fn. Sv. 1995.
Ray Inſ. 2. n. 8.
Liſter Aran. fig. 5.
Clerk. Aran. 44. tab. 2. fig. 4.
Schrank. E. I. 1092.
♀ Latreille H. N. VII. 265. 76.
Schaeff Icon. tab. 124. fig. 6. tab. 196. fig. 6.
Geoffr. Inſ. 2. 648. 11.

Mater aſſidet ſacco, aut reti laxo, ſaepe vt vidi, corolla exſiccata floris intexto, nec facile abigitur. Foecunditas maxima relate ad magnitudinem *Araneae*. "Euacuata medulla intrat Rubi ramulos exſiccatos obtruncatosque ibique hoſpitatur." App. Emend. p. 140. Hab. in hortis frequens.

(*p. 128.*)

* 964. *A. phragmitis*, abdomine ouato, faſciis argenteis, flauisque nigro-terminatis.

♀ *A. faſciata* Fabr. Ent. ſyſt. II. 414. 28.
A. faſciata Latr. H. N. VII. 269. 79.
A. formoſa Villers Ent. IV. 130. 125. t. 11. f. 10.
A. faſciata Oliv. Enc. IV. 198. 1.

A. Faſciatae F. proxima, et forte eadem. Magna. Palpi pallide-flaui, ſatis longi, piloſi. Os dentibus non admodum validis armatum. Oculi hoc modo :: :: ſiti. Thorax depreſſus, ſuborbiculatus, argenteus. Abdomen magnum, ouatum, thorace duplo longius, dorſo antice faſcia vna, al-

alteraque late argentea ſplendida; poſtice faſciis, lineisque alternis flaueſcentibus cincto, ſpatiis inter faſcias, et lineas interpoſitis nigris. Subtus in medio nigrum lateribus albo, rufoque variis, faſcia duplici longitudinali flaua, tribusque paribus punctorum flauorum notatum; ano prominente, e quo fila plura ſimul iuncta trahit. Pedes longi pilis raris nigris adſperſi, femoribus, tibiisque pallide-flauis nigro-annulatis; tertii paris breuiores. Magnitudo admodum variat. Tab. III. fig. 13. Tab. IX. fig. 5. Hab. in locis paludoſis telam ſingulari modo intextam ſupra folia A. Phragmitis perpendiculariter extendens; m. Iul. communis. Long. 7, lat. 3 lin.

965. *A. angulata*, abdomine ouato, antice lateribus angulato acuto, thoracis centro excauato. E. Sp. 539. 20.

Linn. Syſt. Nat. 1031. 8. Fn. Sv. 1999.
De Geer Inſ. 7. 221. 2. tab. 12. fig. 1.
Clerk. Aran. tab. 1. fig. 1.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. II. 414. 29.
Latreille H. N. VII. 2. 50. 49.

Deſcriptio *De Geeriana* optima. Abdomen inferne punctis duobus albis conſtanter notatum. Hab. in arboribus rete perpendiculari. Long. fem. 6, lat. 4 lin.

(p. 129.)

966. *A. paluſtris*, fuſca, thorace, abdomineque vtrinque linea niuea. F. Sp. 542. 31.

Linn. Syſt. Nat. 1036. 41. Fn. Sv. 2023.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. II. 418. 42.

Glabra fuſca. Abdomen oblongum dorſo punctis quibusdam albis minutiſſimis ſparſis, lineaque ſeu

fa-

faſcia niuea vtrinque per thoracem continuata, et ante oculos decurrente. "Variat faſcia laterali modo niuea, modo flaueſcente." App. Emend. p. 140. Hab. in paludibus caeſpitoſis. Long. 7, lat. 2¼ lin.

967. *A. diadema*, abdomine ſubgloboſo rubro fuſco, cruce albo-punctata. F. Sp. 540. 21.
Linn. Syſt. Nat. 1030. 1. Fn. Sv. 1993.
Geoffr. Inſ. 2. 646. 8.
De Geer Inſ. 7. 218. 1. tab. 11. fig. 3.
A. Linnaei Scop. Ent. Carn. 1077. Schrank. E. I. 1091.
Pod. M. G. p. 122.
Ray. Inſ. 18. 2. Liſter Aran. fig. 2.
Clerk Aran. tab. 21. fig. 2.
Schaeff. Elem. tab. 21. fig. 2. Icon. tab. 19. fig. 9.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. II. 415. 30.
Latreille H. N. VII. 255. 57. tab. 64.
Hab. in arboribus. In cellulis cylindricis *S. Spirificis* huius *Araneae* tantum cadauera in alimentum filiorum mater congeſſerat. Long. 5½, lat. 4 lin.

(p. 130.)

968. *A. ſaccata*, abdomine ouato ferrugineo fuſco. E. Sp. 543. 38.
Linn. Syſt. Nat. 1036. 40. Fn. Sv. 2021.
Aranea Lyonetti Scop. Ent. Carn. 1116. Schrank. E. I. 1107.
Liſter Aran. 82. fig. 28.
Friſch. Inſ. 8. tab. 2.
Schaeff. Icon. tab. 172. fig. 6?
♀ Fabr. Ent. ſyſt. II. 421. 51.
Latreille H. N. VII. 294. 128.

Fu-

Fuſca terreſtris, erratica, thorace linea dorſali pallidiore, abdomine ouato, pedibus rufo-faſciatis. Hab. in hortis frequens, ſaccum ouiferum ſecum circumferens. Long. 4½, lat. 2 lin.

Clerk. Aran. tab. 4. 5. Auctori aliisque citata, ſecundum cel. Walckenaer ad eius *A. piraticam* Latr. H. N. VII. 294. 130. pertinet. I.

* 969. *A. enſifera*, abdominis dorſo plano, fuſco-nigro faſcia cinerea undique cincto, lineaque exalbida lanceolata ad baſin vtrinque pinnam exſerente.

Caput, et thorax pilis canis hirta immaculata. Palpi fuſci nigro-maculati, parum villoſi. Forceps nigra. Oculi in fronte hoc modo ·.::.· ſiti. Abdomen faſcia villoſa cinerea vndique cinctum, dorſo nigro notato linea exalbida inſtar cuſpidis ad baſin vtrinque pinnata, anum non attingente. Pedes tertii paris breuiſſimi. Femora ſubrufa, nigro maculata. Tibia cinereo-villoſae. Hab. in terra. Long. 3, lat. 2 lin.

* 970. *A. liliigera*, abdomine ouato fuſco, macula liliiformi, faſciisque lateralibus croceis.

A. Labyrinthicae affinis. Media, fuſco-nigra. Caput, et thorax ſordide flaua. Frons hirſuta. Palpi liuidi, parum villoſi. Forceps fuſca dentibus arcuatis acutis. Oculi in fronte hoc modo ..::.. ſiti. Abdomen ouatum dorſo fuſco, faſcia vtrinque maculaque media Lilii imaginem referente croceis. Pedes ſetis aſperſi, parum elongati, tertii paris breuiores. Femora albida. Tibiae obſcure-ferrugineae fuſco-ſubannulatae. Hab. ſuper herbam in ſiluis tela horizontali.

971.

(p. 131.)

971. *A. fimbriata*, nigra, linea laterali alba. F. Sp. 543. 40.

Linn. Syſt. Nat. 1033. 23. Fn. Sv. 2012.
De Geer Inſ. 7. 278. 23. t. 16. f. 9. 10.
Clerk. Aran. t. 5. f. 9.
Schrank. E. I. 1099.
♀ Fabr. Ent. Syſt. II. 421. 53.
Latr. Hiſt. Nat. VII. 291. 134.

Tota fuſco-nigra holoſericea; thorace vtrinque linea lata cinerea, abdomine faſcia latiori albo-luteſcente. Eſt inter maximas generis ſui. Corpus ſubouatum, tomentoſum, et ſetis atris raris adſperſum. Forceps oris robuſta. Palpi piloſi magni, globoſi in mare. Hab. in locis herboſis prope aquas. Long. 6, lat. 2½ lin.

972. *A. ſenoculata*, abdomine vireſcente lateribus flauis. F. Sp. 546. 49.

Linn. Syſt. Nat. 1034. 30. Fn. Sv. 2036.
De Geer Inſ. 7. 258. 18. t. 15. f. 5.
Liſter Aran. 74. f. 24.
♀ Fabr. Ent. Syſt. II. 426. 71.
Latr. H. N. VII. 216. 2.

Griſeo-fuſca, hirſuta. Forceps robuſta. Palpi quinquearticulati longi piloſi, et in maſculo ſubtus inſtructi corpore rufo pellucido, ſimillimo aculeo caudae *Scorpionis Europaei* organa genitalia continente. Oculi ſex hoc modo in fronte :..: ſiti. Thorax fuſcus. Abdomen oblongum faſcia longitudinali laciniofa fuſca. Pedes antici, et ſecundi paris reliquis craſſiores, et longiores, quos quieſcens antrorſum extendit. Hab. in angulis parietum antiquorum. Long. 4⅓, lat. 1⅔ lin.

(p. 132)

973. *A. ſcenica*, ſaliens, nigra ſtriis tribus ſemicircularibus albis. F. Sp. 544. 42.
Linn. Syſt. Nat. 1035. 36. Fn. Sv. 2017.
De Geer Inſ. 7. 287. 27. t. 17. f. 8. 9.
Geoffr. Inſ. 2. 650. 16.
Schrank. E. I. 1104.
Liſter Aran. f. 31.
Ray. Inſ. 37. 31.
Clerk. Aran. t. 5. f. 13.
Schaeff. Icon. t. 44. f. 11.
♀ Fabr. Ent. Syſt. II. 422. 57.
Latr. H. N. VII. 299. 138.
Hab. in parietibus Soli expoſitis. Long. 2½, lat. 1½ lin.

974. *A. tarantula*, abdominis dorſo maculis trigonis nigris, pedibus nigro maculatis. F. Sp. 545. 45.
Linn. Syſt. Nat. 1035. 35.
Tarantola Boccon. Muſ. 1. 101. t. 2.
Albin. Aran. 64. t. 38.
Bradl. Nat. tab. 24. f. 10.
♀ Fabr. Ent. Syſt. II. 423. 62.
Latr. H. N. VII. 289. 123. tab. 62. fig. 3.
Oliv. Enc. meth. IV. 214. 58.
Noſtratium forte maxima. Admodum variare videtur, ſed noſtra ſpecimina fere conueniunt cum deſcriptione Linnaei l. c. Maxillae et palpi in noſtris antica parte ſubrufi apice nigri. Abdominis dorſum maculis trigonis nigris, ſtrigis arcuatis albidis interſectum: ſubtus laete croceum faſcia transuerſa nigra. Color croceus aetate euaneſcit. "Oculi octo rufi, medii maiores cornea poſt mortem depreſſa. Forceps robuſta conica apice acu-

aculeata, aculeo mobili articulato; huic ſubiacent maxillae duae nigrae corneae duas lineas diuiſorias cum forcipe efformantes, et os in quatuor veluti partes cruciformiter diuidentes, ex qua partitione concludi poſſe videtur *Tarantulam* eſſe *Tetragnatium* Aetii et Plinii, pariterque vnam eandemque eſſe ſpeciem cum *A. Solifuga* Veterum. Ad maxillarum baſin alia inſidet pars quaſi labium inferius, quod linguae officium praeſtat ad exſugendam praedam. Thorax fere duplo maior abdomine, cineraſcens, areis nigris in centrum concurrentibus, faſcia laterali mediaque albidis. Abdominis dorſum cineraſcens maculis trigonis nigris, ſtrigis arcuatis albidis interſectum; ſubtus laete croceum faſcia tranſuerſa nigra. Pedes atro-faſciati. Colore admodum variat." App. Emend. p. 140. Hab. Florentiae in montuoſis: frequens loco vulgo dicto *Monte Spertoli* in terra puteo excauato.

Saccus ouiferus albus nuce auellana duplo maior, continens oua 627. coloris ſubflaui, magnitudine fere feminis Milii. *Cl. Serao* in vno ſacculo 825 *A. Tarantulas* iam excluſas numeraſſe ait. Lez. I.

Morſus apud nos etiam, vim tantum habet excitandi leuem inflammationem in parte corporis laeſa, quae facile reſoluitur. Id tamen aſſerimus autoritate aliorum, non adhuc experimentis ſat bene a me comprobatum; paucis enim in auibus inſtitutis menſe Nouembris, etſi plerumque vix vlla indicia veneni obſeruata, cum vna earum ſuppuratione, et ſphacelo femoris laeſi die tertio occubuerit, de praua eius indole prudens exori

tur ſuſpicio, nonniſi pluries repetito periculo depellenda. *)

Tetragnathium Plinii haec Tarantula non eſt, ſed *Solpugae* ſpecies. Ill. Com. ab Hoffmannsegg in Luſitania nouam Solpugae ſpeciem detexit, *Arachnode* minorem, quae forte pluribus Europae auſtralis terris communis eſt. Cuius morſum ſine dubio venenatum, forte Tarantulae adtribuere. I.

* 975. *A. florentina*, nigra, piloſa, maxillis viridi-aeneis nitidis.

♀ *A. cellaria* Latr. H. N. VII. 217. 3.

Tota hirſuta nigra. Palpi nigri piloſi. Maxillae validae lacertoſae, aeneo-virides nitentes. Thorax conuexus, oblongus. Oculi ſex magni prominentes, in fronte hoc modo :..: ſiti. Abdomen ouatum thorace paulo longius. Pedes hiſpidi; tertii paris breuiores, antici toti nigri, poſtici ſubrufi. Tab. IX. f. 3. Hab. in vliginoſis prope aquas. Long 8, lat. 2½ lin.

Et in Luſitania occurrit haec ſpecies, mandibulis aeneo-viridibus aut cyaneſcentibus inſignis. Latreille eam circa Pariſios reperit, et eam praeſertim cauas habitare, afferit. I.

(p. 134.)

* 976. *A. plantigera*, nigra, nitida, abdomine globoſo ſupra rufo, macula lata nigra ad apicem vtrinque ramoſa.

Glabra, nitida. Caput palpi, et forceps nigra. Oculi ſex hoc modo ˙....˙ ſiti. Thorax niger, paruus,

*) De veneno *A. Tarantulae* confer quid habeat D. Amoreux, qui nouiſſime accuratam dedit hiſtoriam in Libro des Inſectes de la France reputés venimeux pag. 70 et ſeq. Ann. Auct.

paruus, valde conuexus margine albido. Abdomen magnum reſpectu thoracis, rotundum, globoſum, ſubtus pallidum lateribus late nigris; ſupra ruſum macula dorſali latiſſima nigra, et anum verſus vtrinque ramoſa, ramis ad baſin flauo-marginatis. Macula haec, ſi quis eam a capite Araneae intueatur, vaſis fictilis plantam Aloes continentis imaginem exhibet. Pedes quatuor antici nigri tibiis pallidis: poſtici, albo nigroque varii. Alter ſexus variat abdomine ſupra luteo punctis tribus in medio vaſis, hoc eſt dorſi impreſſis. Hab. ruri in floribus. Long. 3, lat. 2 lin.

* 977. *A. Pluchii,* abdomine ſupra fuſco, ſubtus albido, baſi vtrinque macula lactea, pedibus longiſſimis.

Affinis, niſi eſt *A. Pluchii* Scop. Ent. Carn. 1120. Caput, et thorax albo-cinerea. Maxillae apice nigrae. Oculi hoc modo .:. . . .:. ſiti. Abdomen ſubcylindricum, fuſcum, glabrum, ad baſin vtrinque macula lactea; ſubtus albidum. Pedes longiſſimi piloſi pallidi, geniculis nigris. Hab. in domibus.

* 978. *A. Sloanii,* nigra, abdomine ſubrotundo rubro coccineo, macula media lanceolata nigra. Scop. Ent. Carn. 1108.

A. Chryſops Pod. M. G. p. 123.

An *A. ſanguinolenta* Linn. ſyſt. Nat. 1032. 18?

♀ *A. ſanguinolenta* Fabr. Ent. ſyſt. 422. 55.

A. ſanguinolenta Oliv. Enc. meth. IV. 220. 84.

Peregrinatrix, ſaliens, palpos continuo mouens, inquieta, in anticam, et poſticam partem incedens; villoſa. Thorax antice macula laterali vtrin-

vtrinque alba. Abdomen ſubtus etiam rubrum. Tibiae anticae et ſecundae ſupra obſcuro quodam rubore tinctae; ſubtus nigrae. Palpi hirſuti rufo-cinerei. Oculi ſex. Hab. in hortis frequens. Long. 2, lat. 1 lin.

A. ſanguinolenta Linnaei alia ſpecies eſt, quam bene nouimus, thorace immaculato, cruribus anterioribus quatuor brunneis quidem, non vero croceo tomentoſis. Fabricii et Olivierii *ſanguinolenta* vero noſtra *A. Sloanei* eſt. I.

(*p. 135.*)

* 979. *A. quatuorguttata*, nigra, abdomine rotundo ſuperne rubro albo-marginato, guttis quatuor nigris quadrati inſtar in medio poſitis.

A. monilifera Villers Ent. IV. 128. 119. t. 11. f. 8.
♀ *A. cinnaberina* Oliv. Enc. meth. IV. 221. 85.
A. cinnaberina Latr. H. N. VII. 297. 135.

Praecedenti quodammodo ſimilis, at maior, et diſtincta. Peregrinatrix, ſaltatoria, minime hirſuta. Palpi nigri clauati absque villis, (in praecedente villoſi villo ſubrufo). Forceps valida, lacertoſa. Pedes antici toti nigri annulis quatuor albis. Tibiae ſecundi paris nigrae annulis duobus albis: at femora, et alii quatuor pedes omnino rubri apice nigri. Thorax niger, antice valde craſſus, et eleuatus. Abdomen ſubtus nigrum punctis duobus albis. Differt a priori etiam oculorum numero, ſitu, et magnitudine, in hac ſingulari modo diſtributi: nempe, quatuor in fronte approximati, quorum antici maiores, duo ad latera diſtantes, aliique duo remotiſſimi vltra medium thoracis poſiti hoc modo .˙ :: ˙. Magnitudine variat.

Schaef-

Schaefferus Icon. tab. 32. fig. 20. habet *Araneam*, quae ab hac diuerſa videtur colore pedum, et macularum numero. In Schaefferiana enim pedes omnes albo-faſciati, et maculae nigrae abdominis ſex ſunt. Tab. I. fig. 8. 9.

Primum capta in ſiluis, mox in foliis Pruni domeſticae, poſteaque fugitiuis oculis viſae plures Florentiae in Muſeo Cowperiano, et alibi, vnde ſuſpicor iam notam eſſe. Long. 4½, lat. 1⅔ lin.

Circa Pariſios quoque capta eſt, autore Latreille. I.

* 980. *A. pugnax*, ſaltatoria, thorace albo-cinereo, ad marginem nigro-maculato, abdomine cinereo, punctis minimis obſoletis nigris aſperſo.

♀ *A. tardigrada* Latreille H. N. VII. 298. 136.
A. Rumphii Scopoli Carn. 1110.
Clerk. Aran. tab. 12. fig. 12.

Parua, et lineam vix longa, lata ⅙ lin. Corpus oblongum, pubeſcens. Palpi albidi piloſi. Forceps nigra robuſta. Oculi ſex viſibiles manifeſte ſiti hoc modo :..: Laterales et poſtici nigri, medii maiores. Thorax magnus, elongatus albo-cinereus, ad marginem vtrinque nigro-maculatus, lateribus albis. Abdomen longitudine thoracis, eiusdemque craſſitiei, albo-cinereum, et vix irroratum punctis minimis nigris. Pedes concolores, ſummis apicibus nigris. Cauendum, ne confundatur cum aliis huic ſimilibus. Mira audacia in tam exiguo corpuſculo curioſitatem excitare debet: moleſtata enim ſpecillo, pluma, vel alio inſtrumento ſimili, ſaltu agiliſſimo fugam quaerit, et ſi quis eam vndique perſequatur, agitat pal-

pos, caput erigit, et minans ſpecillum reſpiciens, incredibili audacia in illud ſe iacit. Hab. in domibus, feneſtris: ſcribenti mihi primum obuiam ſe dedit, mox viſa pluries in muris, et locis vmbroſis.

(p. 136.)

* 981. *A. mortuorum*, ſaltatoria, ſubrufa, pellucida, corpore globoſo obſcuriore, albo-lineato, oculis nigris.

Magnitudo ſeminis Milii. Thorax pallidus, abdomine maior, linea duplici nigra longitudinali. Pedes pallidi nigro-punctati. Hab. in arculis inſectorum, vbi fila ducit ſuſpenſa aciculis; per ea obambulans, et victitans fortaſſe *Acaro Deſtructore* et laruis *P. Furis*. Incluſa in vaſe vitreo vixit fere integrum annum absque alimento.

* 982. *A. 13guttata*, nigra, abdomine ſubrotundo, globoſo, maculis tredecim ſanguineis, pedibus quatuor mediis breuioribus: venenatiſſima.

♀ Fabr. Ent. ſyſt. II. 409. 8.

Latreille Hiſt. Nat. VII. 235. 38.

Nigra holoſericea. Caput paruum fere ſub thorace reconditum. Palpi breues. Os binis dentibus acutis, ſed non admodum validis armatum. Oculi in fronte hoc modo .:::. ſiti. Thorax poſtice nonnihil conuexus, abdomine anguſtior. Abdomen ſubrotundum, globoſum, guttis tredecim ſanguineis plerumque aſperſum, ano obtuſo. Pedes ſubulati, pilis decumbentibus hiſpidi, fere vngula deſtituti: antici poſticique longi, ſecundi, et tertii paris breues. Maculae interdum nume-

ro

ro variant, et ſanguineus color poſt mortem fuſcus euadit. Femina ſaccum ouiferum magnitudine Nucis Auellanae conficit, eique vigil inſidet. Forte Aranea a Corſis vulgo dicta *Marmignatto* aut eadem, aut huic proxima eſt? Tab. IX. f. 10. Hab. in variis Etruriae locis. In agro Volaterrano ann. 1786. copioſiſſima. Inſidiatur *Gryllis* in ſulcis fila ducens, quibus cum primum *Aranea* viderit illapſam praedam, iisque niſi detentam, tamen retardatam, corpore reſupino, pedibus anticis ſuſpenſa, et cum poſticis trahendo filum ab ano nouos ſtatim laqueos componit, vnumque poſt alterum ad pedes *Grylli* ſaltatorios motu vndulatorio ocyſſime iactat, donec iis arctiſſime irretitum tuto aggredi queat, dentibusque ad collum ferire: quo facto conuulſus moritur *Gryllus*, eumque poſtica tranquille exſugit ad ſiccitatem. Si vero incluſa in vaſe anguſto cum *Gryllo* vndique calcitrante, incolumitatem in morte inimici quaerere cogatur, et bellicus renouetur luſus, ob nimium fili diſpendium confectis viribus exanimata perit. Cum *Scorpio Europaeo*, *Araneisue* diuerſae ſpeciei in carcerem detenta, iis difficile iraſcitur, et certamen inire recuſat; ſed contra ferociſſime ſaeuit in propriam ſpeciem. Morſus homini etiam lethalis, ſtipatus diris ſymptomatibus, et vix ſcarificatione, atque ſudorificis ſanandus. *) Long. 4½, lat. abd. 3 lin.

* 983.

*) Iure dubitamus ab hac non diuerſam fuiſſe *Araneam*, cuius veneni tam varios, dirosque effectus ſe obſeruaſſe ait *Cl. Brogianius* in libro *de veneno Animantium* pag. 52. Ann. Auctor.

(p. 138.)

* * 983. *A. Sauvagii.*

♀ *Mygale Sauvageſii* Latr. H. N. 165. tab. 63. fig. 7-10.

Haec non hab. apud nos, quas habeo e Corſica accepi: quidque relate ad huius *Araneae* ſingularis hiſtoriam obſeruare datum mihi fuerit, videre eſt in *Actis Societatis Italicae* t. IV. p. 134. f. 8. 9.

Eſt Corſicana, inter maximas generis ſui. Tota fuſco-liuida, hirſuta. Pedes inſuper hiſpidi, vngulati. Palpi pediformes, aequales. Oris forceps robuſta, nigra. Oculi in fronte hoc modo ⁚∷⁚ ſiti. Thorax antice gibbus, poſtice dilatatus. Abdomen ouato-oblongum, atrum holoſericeum, ano obtuſo duabus appendiculis prominentibus, e quibus trahit fila quatuor disiuncta. Femina. Tab. IX. fig. 11. *L'Araignée maçonne ou mineuſe.* Long. 10, lat. 4 lin. Hab. prope Montem Peſſulanum, et in Corſica ad margines viarum, vbi terram excauando domicilium ſtruit cylindricum ſpithamaeum ſuperne operculo mobili clauſum, in quo ſeſe occultat, et noctu exit. "Nouiſſime admiratione mea maxima detecta habitare etiam Piſis in loco montuoſo vulgo dicto *Palaia*, vbi domicilium ſtruit e terra arenoſa confectum operculo mobili quemadmodum Corſicana et Monspelienſis, intruditque ſaepius in muris externis antiquis aedium ruſticorum, prope terram." App. Emend. p. 141.

Cl. *Sauvages* aliam Mygales ſpeciem deſcripſit, quam e Luſitania et Gallia meridionali habemus: *Mygalen caementariam* Latr. H. N. VII. 164. tab. 63. fig.

fig. 1-6. *Aranea auicularia* et plures exoticae, nondum ſatis diſtinctae, huius generis ſunt, quod nomine malo deſignatum eſt. *Mygale* enim *Sorex* eſt, cuius hiſtoriam Plinius Phalangiorum enumerationi immiſcuit.

CXLV. PHALANGIUM.

Palpi porrecti incurui. *Maxilla* ſuperior chelifera.

984. *P. cornutum*, abdomine depreſſo, mandibula conica, adſcendente, palpis pediformibus. F. Sp. 547. 3.

Linn. Syſt. Nat. 1028. 3.
Geoffr. Inſ. 2. 629. 1. t. 20. f. 6.
De Geer Inſ. 7. 173. 2. t. 10. f. 12.
Schaeff. Elem. t. 13. f. 9. Icon. t. 39. f. 13.
♀ *Faucheur des Murailles* Latr. H. N. VII. 321. 1.
Mas: P. cornutum Fabr. Ent. ſyſt. II. 430. 4.
Opilio parietinus Herbſt. Apter. t. 1. f. 1. 2.
Femina: Phal. Opilio Fabr. l. c. 429. 3.
Roſſi Mant. 341.
Opilio cornutus Herbſt. Apt. tab. 1. fig. 3.

Hab. ruri. *)

(p. 139.)

CXLVI. SCORPIO.

Os palpis quatuor, aut ſex. *Maxilla* inferior nulla.

985. *S. europaeus*, pectinibus 18dentatis, manibus angulatis. F. Sp. 551. 5.

Scop.

*) Aranearum ſub hoc Coelo degentium, cum pene innumerae ſint ſpecies, ampliorem deſcriptionem, Deo annuente, in alii temporis otium reſeruamus; ideoque ſectionum ordo ab oculis deſumtus in diſtributione minus etiam religioſe ſeruatus. Ann. Auctor.

Scop. Ent. Carn. 1122. Mouff. Inſ. 204.
Ray. Inſ. 9.
Sulzer Inſ. tab. 23. fig. 150.
Roeſ. Inſ. 3. tab. 66. fig. 1. 2.
Schaeff. Elem. tab. 113.
♀ *Sc. carpathicus* Linn. S. N. 2. 1038. 2.
Sc. europaeus Latr. H. N. VII. 116. 1.
Sc. germanicus Herbſt. Apt. tab. 3. fig. 2.

Venia dubitantis *Fabricii*, viuiparus. Hab. frequens ſub ſaxis, etiam in domibus, et muris antiquis humentibus. Ab aquae contactu tamen, forte ob impeditam reſpirationem, inſecto breui Aſphyxia cum Solis radiis reuiuiſcat: aliter mors.

Linnaei *Sc. europaeus* ſine dubio ſpecies Americana eſt; illius et De Geerii Scorpionem itaque ex Auctoris citatis reieci. In Europa duae Scorpionis ſpecies occurrunt: altera haec eſt pectinibus nouemdentatis, abdominis dorſo laeui, colore plerumque obſcuro pedibus pallidis, quam nobis miſit cel. Roſſi. Linnaei *Sc. carpathicum* huc ſpectare, eo magis credo, cum *pectinibus 6dentatis* pro *9dentatis* lapſu ſcribentis poſitum eſſe ex eo pateat, quod ſpecierum ſeries in Syſt. Nat. ſecundum pectinis dentium numerum ordinata appareat, a minimo numero 8 in *Mauro* incipiens, et numero maximo 32 concludens. In Carpathico "pectinibus *9dentatis*" lectis, ſeries bene procedit, quae alias, cum "*6dentatis*" conſeruaueris, interrupta eſt. Altera ſpecies europaea, in Luſitania, Gallia meridionali, Ruſſia auſtrali, Aegypto obſeruata, *Sc. occitanus* Amoreux et Herbſt., ac ſimul *Tunetanus* Herbſtii; dorſo tricarinato, pectinibus *18dentatis* primo ſtatim aſpectu differt a *Carpathico.* Haec ſpecies eadem, cuius ictus vires illuſtr. Maupertuis

tuis examinauit, ſecundum differentiam ſpecificam a cel. Fabricio datam, eius *Sc. europaeus* eſſe videtur. I.

986. *S. cancroïdes*, abdomine ecaudato, ouato, depreſſo, fuſco. F. Sp. 551. 7.

Phalangium cancroïdes Linn. Syſt. Nat. 1028. 4. Fn. Sv. 1968.

Geoffr. Inſ. 2. 618. 1.

De Geer Inſ. 7. 355. 2. t. 19. f. 14.

Roeſ. Inſ. 3. t. 64.

Sulzer Hiſt. Inſ. t. 29. f. 11.

Schaeff. Elem. t. 38. Icon. t. 134. f. 3. a. 3. b.

♀ *Opiſium cancroïdes* Muſ. Hellw. Hoffm.

Chelifer cancroïdes Latr. H. N. VII. 141. 1.

Scorpio cancroïdes Fabr. Ent. ſyſt. II. 436. 10.

Hab. inter vtenſilia, et ſub arborum cortice; non rarus etiam in arculis inſectorum. Quandoquidem viſi tres inſecto cuidam, chelis firmiſſime, et ſociatim adhaerentes.

Nomen genericum *Chelifer* minus aptum, quoniam adiectiuum eſt, cum nomine *Opiſium* commutaui, quod inceſſui retrogrado horum inſectorum alludit. *Obiſium*, quod cel. Latreille ſcripſit, erroneum eſt, nomen enim ab οπισω, *retro*, deduxi. I.

CLAS-

CLASSIS SEXTA.
GLOSSATA. *)

Os palpis, linguaque ſpirali.

(p. 141.)

CXLVII. PAPILIO.

Palpi duo reflexi. *Lingua* ſpiralis exſerta. *Antennae* clauatae.

987. *P. Podalirius*, P. E. A. alis caudatis ſubconcoloribus flaueſcentibus, faſciis fuſcis geminatis, poſticis ſubtus linea. F. Sp. 15. 58.
Linn. Syſt. Nat. 751. 36.
Geoffr. Inſ. 2. 56. 24.
P. Sinon Pod. Inſ. 62. tab. 2. fig. 1.
Cram. Inſ. 13. tab. 152. fig. B. Merian Europ. 163. tab. 44.
Reaum. Inſ. 1. tab. 11. fig. 3. 4.
Roeſ. Inſ. 1. p. 2. tab. 2. Esp. pap. 1. tab. 1. fig. 2.

Schaeff.

*) Fuſius deſcribere hanc Claſſem iam a tot Clariſſimis Entomologis illuſtratam, foret taedium inutile afferre mihi, et legentibus. Ann. Auct. Ex eadem cauſſa in afferendis ſynonymis adiiciendisque annotationibus parcus eram, *Syſtema Lepidopterorum Viennenſium* ex editione mea Brunouicenſi 1801, annotationibus acutiſſimi Laspeyres in *Magazin für Inſektenkunde* emendatum, Nomenclatura ill Comitis ab Hoffmansegg in *Iac. Hübneri Lepidoptera europaea*, ibidem propoſita maximam partem Gloſſatorum Faunae Etruſcae illuſtrant; de Papilionibus autem praeſertim *Ferd. Ochſenheimeri Schmetterlinge Sachſens*, opus maxima cura ingenioque ſagaci elaboratum, conſulendum eſt. Quod ad genera Gloſſatorum attinet, nil diſſimulo, me ſtabilia, certisque notis diſtincta, aſſequi nondum potuiſſe. Eis, quae cel. Latreille propoſuit, nondum ſufficere viſis, conſultius eſſe duxi, in nominibus genericis hucusque vſitatis acquieſcere, et ſynonyma Latreilliana, vbi adeſſent, adiungere. I.

Schaeff. Elem. tab. 94. fig. 4. Icon. t. 45. f. 3. 4.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 24. 71.
Panz. Fn. Germ. 30. tab. 24.
Ochſenheimer Schmetterl. Sachſ. I. 393.
Herbſt. Pap. III. tab. 45. fig. 3. 4.
Hübner Pap. tab. 77. fig. 388. 389.
Latreille H. N. XIV. 109. 2.

Hab. in Amygdalo communi, frequens.

988. *P. Machaon*, P. E. A. alis caudatis concoloribus flauis, limbo fuſco, lunulis flauis, angulo ani fuluo. F. Sp. 17. 67.

Linn. Syſt. Nat. 750. 33. Fn. Sv. 1031.
Geoffr. Inſ. 2. 54. 23.
Petiv. Muſ. 35. 328. Esp. Pap. tab. 1. fig. 1.
Scop. Ent. Carn. 444. Gronov. Zooph 725.
Merian Europ. t. 94. Hoeffn. Inſ. 1. t. 12.
Reaum. Inſ. 1. t. 29. f. 1.
Roeſ. Inſ. 1. p. 2. t. 1.
Schaeff. Icon. t. 45. f. 1. 2.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 30. 87.
Panzer Fn. Germ. 30. t. 23.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 896.
Herbſt. Pap. t. 45. f. 1. 2.
Hübn. Pap. t. 77. f. 390. 391.
Latreille H. N. XIV. 109. 1.

Hab. in Anetho, Foeniculo, Ruta: frequens.

(p. 142.)

989. *P. Crataegi*, P. P. alis rotundatis integerrimis albis, venis nigris. F. Sp. 35. 149.

Linn. Syſt. Nat. 758. 72. Fn. Sv. 1034.
Geoff. Inſ. 2. 71. 43.
Petiv. Muſ. 33. 301.
Scop. Ent. Garn. 448. Merian. Europ. 3. 38. t. 35.

Alb.

Alb. Inſ. t. 2. f. 2. Reaum. Inſ. 2. t. 2. f. 9. 10.
De Geer Inſ. 1. tab. 14. fig. 19. 20.
Roeſ. Inſ. 1. pap. 2. tab. 3.
Esp. pap. 1. tab. 2. fig. 3.
Schaeff. Icon. t. 140. f. 2. 3.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 182. 563.
Panz. Fn. Germ. 76. tab. 22.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 410.
Hübner Papil. tab. 79. fig. 399. 400.
Herbſt. Pap. V. tab. 85. fig. 7. 8.]
Pieris Crataegi Latreille H. N. XIV. 113. 3.

Larua gregaria interdum copioſiſſima. Imago vix declarata moeconium, ſeu humorem ſuperfluum excernit roſeum, a quo cauſſa pluuiae ſanguineae primum a *Peireſcio* demonſtrata. Hab. in Crataego Oxyacantha, Pruno domeſtica frequens.

990. *P. Braſſicae*, P. D. C. alis integerrimis rotundatis albis, anticis maculis duabus apicibusque nigris maior. F. Sp. 38. 161.

Linn. Syſt. Nat. 759. 75. Fn. Sv. 1035.
Ray. Inſ. 113. 1.
Petiv. Gazoph. 62. fig. 3. Muſ. 85. 825.
Geoffr. Inſ. 2. 68. 40.
Roeſ. Inſ. 1. pap. 2. tab. 4.
Schaeff. Icon. tab. 40. fig. 3. 4. tab. 140. fig. 4. 5.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 186. 574.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 411.
Hübn. Pap. tab. 80. fig. 401-403.
Herbſt. Pap. V. tab. 87. fig. 1-3.
Pieris Braſſicae Latreille H. N. XIV. 113. 4.

Hab. in Braſſica: frequens.

(p. 143.)

991. *P. Rapae*, P. D. C alis integerrimis, anticis maculis duabus, apicibusque nigris, minor. F. Sp. 39. 162.

Linn. Syſt. Nat. 759. 76. Fn. Sv. 1036.
Geoffr. Inſ. 2. 69. 41.
Ray. Inſ. 114. 2. Petiv. Gazoph. 10. t. 64. f. 4.
Reaum. Inſ. 1. t. 29. f. 7. 8.
Albin Inſ. t. 51. f. C. D. E. F.
Goed. Inſ. 1. t. 27. Merian Europ. 2. t. 39.
♀ *P Rapae* Fabr. Ent. ſyſt. III. 186. 575.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 413.
Herbſt. Pap. V. t. 87. f. 6. 8.
Hübn. Pap. t. 80. f 404. 405.
Pieris Rapae Latr. H. N. XIV. 113.
Variet. Pap. Nelo Herbſt. Pap. V. t. 87. f. 9.

Hab. in Braſſicis frequens.

992. *P. Napi*, P. D. C. alis integerrimis albis ſubtus venis dilatatis vireſcentibus. F. Sp. 39. 163.

Linn. Syſt. Nat. 469. 112. Fn. Sv. 1037.
Geoffr. Inſ 2. 70. 42.
Merian Europ. 2. t. 39. Petiv. Gazoph. t. 62. f. 4.
Alb. Inſ. t. 52. f. F. G.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 187. 576.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 415.
Herbſt. Pap V. t. 92.
Hübn. Pap. t. 81. f. 406. 407.
Pieris Napi Latr. H. N. XIV. 114. 5.

Hab. in plantis oleraceis frequens.

Hübneri Papil. figura 407 Papilionem refert, quem rectius cum Wallnero ſub *Bryoniae* nomine diſtinguis. I.

993. *P. Sinapis*, P. D. C. alis integerrimis rotundatis albis, apicibus fuſceſcentibus. F. Sp. 40. 164.

Linn. Syſt. Nat. 760. 79. Fn. Sv. 1038.
De Geer Inſ. 2. 183. 4. t. 1. f. 1.
Scop. Ent. Carn. 452.
Schaeff. Icon. t. 97. f. 8. 11.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 187. 577.
Panzer Fn. Germ. 74. t. 21.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 419.
Herbſt. Pap. V. t. 88. f. 1-3.
Hübn. Pap. t. 82. f. 410. 411.
Pieris Sinapis Latr. H. N. XIV. 114. 7.

Sexus alter variat alis totis albis. Hab. in Sinapi aruenſi, in pratis ſiluaticis.

(p. 144.)

994. *P. Daplidice*, P. D. C. alis integris rotundatis albis, margine fuſcis, ſubtus luteo-griſeis albo-maculatis. F. Sp. 41. 174.

Linn. Syſt. Nat. 760. 81.
Petiv. Gazoph. t. 1. f. 7.
Schaeff. Icon. t. 79 f. 2. 3.
♀ Fabr. Ent. ſyſt III. 191. 593.
Panzer Fn. Germ 74. t. 22.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 422.
Herbſt. Pap. V. t 93. f. 1-3.
Hübn. Pap. t. 82. f. 414. 415.
Pieris Daplidice Latr. H. N. XIV. 114. 6.

Hab. in Reſeda luteola, non rarus.

Crameri *P. Daplidice* Pap. 15. t 171. f. C. D. a Fabricio allegatus, e Promontorio B. Spei allatus diuerſa ſpecies eſt, neutiquam vero *Pap. Hellica* Linnaei, vti cl. Borkhauſen putat, quam *Hellicam* cel. Herbſtius perperam ad *Daplidicem* retulit, a qua multis differt. I.

995. *P. Cardamines*, P. D. C. alis rotundatis albis, poſticis ſubtus viridi marmoratis. F. Sp. 43. 179. Linn.

Linn. Syſt. Nat. 761. 85. Fn. Sv. 139.
Geoffr. Inſ. 2. 71. 44.
Ray. Inſ. 115.
Roeſ. Inſ. p. 2. t. 8.
Schaeff. Elem. t. 94. f. 8. Icon. t. 91. f. 1. 3.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 193. 600.
Panzer Fn. Germ. 75. t. 22.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 428.
Herbſt. Pap. V. t. 94. f. 1-4.
Hübn. Pap. t. 83. f. 419. 420. t. 84. f. 424. 425.
Pieris Cardamines Latr. H. N. XIV. 115. 8.

Hab. in Cardamine, Thlaſpi, Florentiae non frequens: Piſis numquam inuentus.

996. *P. Palaeno*, P. D. C. alis integerrimis flauis apice nigris, margineque fuluis, poſticis ſubtus puncto argenteo. F. Sp. 48. 210.

Eſper Pap. 1. t. 4. f. 2.
Schaeff. Icon. t. 149. f. 4. 5.
♀ *P. Hyale* Fabr. Ent. ſyſt. III. 207. 649.
Panzer Fn. Germ. 50. t. 15.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 439.
P. Palaeno Herbſt. Pap. V. t. 114. f. 7. 8.
P. Palaeno Hübn. Pap. t. 87. f. 438. 439.

Antennae rubrae. Hab. in Coronillis.

Linnaei *P. Palaeno* ex citatis reiiciendus erat. Crameri *Papm. Palaeno* Cap. 30. t. 351. f. E, F, G, H. Fabricius primus recte ad *Hyalen* retulit. I.

997. *P. Hyale*, P. D. C. alis rotundatis flauis, poſticis macula fulua, ſubtus puncto ſesquialtero argenteo. F. Sp. 48. 211.

Linn. Syſt. Nat. 764. 100. Fn. Sv. 1040.
Geoffr. Inſ. 2. 75. 48.
Petiv. Gazoph. t. 14. f. 11.

Scop. Ent. Carn. 455. Roeſ. Inſ. 3. t. 46. f. 4. 5.
Schaeff. Icon. t. 149. f. 1. 2. 3.
♀ *P. Eduſa* Fabr. Ent. ſyſt. III. 206. 643.
Panzer Fn. Germ. 50. t. 17.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 433.
P. Hyale Herbſt. Schm. V. t. 114. f. 1-4.
P. Hyale Hübn. Pap. t. 85. f. 429-431.
Pieris Hyale Latr. H. N. XIV. 112. 2.

Mas alis aurantiis, femina ſulphureis. Hab. in Cythiſo frequens.

Scopolii *P. Hyale* mas ſolus huc pertinet; cui *Pm. Hyalen* Linn. Fabr. vt feminam adſociauit. *P. Trites varietatem* Linnaei Muſ. Lud. Vlr. 248., quam huc referre proni ſunt celeb. Viri *Schneider, Borkhauſen* et alii, cum cl. Herbſtio *P. Hilariam* Cram. Herbſtii habemus. I.

(p. 145.)

998. *P. Rhamni*, P. D. C. alis integerrimis angulatis flauis, ſingulis puncto ferrugineo F. Sp. 50. 220.

Linn. Syſt. Nat. 765. 106. Fn. Sv. 1042.
Geoffr. Inſ. 2. 74. 47.
Ray. Inſ. 112. 4.
Roeſ. Inſ. 3. t. 46. f. 1. 2. 3. 4. t. 26. f. 1-5.
Alb. Inſ. t. 2. f. 3.
De Geer Inſ. 1. t. 15. f. 1-10.
Schaeff. Elem. t. 94. f. 7. Icon. t. 35. f. 1-3.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 211. 661.
Panzer Fn. Germ. 28. t. 23.
Herbſt. Schm. V. t. 103. f. 1-3.
Hübn. Pap. t. 88. f. 442-444.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 442.
Pieris Rhamni Latr. H. N. XIV. 112. 1.

Mas

Mas ſulphureus, femina alba. Hab. in Rhamno Cathartico, Frangula etc. Piſis frequens, Florentiae rarus.

Pap. Eclipſin Muſei Britannici artefactum eſſe, cel. Fabricius l. c. affert, at inde non apparet, ſpeciem Linnaeo deſcriptam, et Petiuerio depictam, *Papilionis Rhamni* ſpecimen pictum eſſe; Linnaei inſectis apud ill. Smith, nec in Muſeo Britannico, aſſeruatis. I

999. *P. Cleopatra*, P. D. C. alis integerrimis angulatis flauis, anticis ſupra diſco fuluo, reliquis puncto ferrugineo. E. Sp. 52. 225.

Linn. Syſt. Nat. 765. 105.
Cram. Inſ. 11. t. 131. f. E.
Eſp. Pap. 1. t. 48. ſuppl. 24. f. 1.
Seb. Muſ. 4. t. 26. f. 7. 8.
♀ Roſſi Mantiſſa 342.
Fabr. Ent. ſyſt. III. 213. 667.
Panzer Fn. Germ. 74. t. 23. 24.
Herbſt. Schm. V. t. 103. f. 4.
Hübn. Pap. t. 88. f. 445. 446.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 444.

Hab. Piſis in ſilua vulgo dicta S. Petri menſ. Iul. non rarus, vbi frequentes naſcuntur flores Labiati, et infundibuliformes, quos praediligere videtur, et quos huc illuc volitando irrequietus quaeritat, aliis raro, aut nunquam inſidens, vnde captura difficilis; ſed faſciculo ex floribus Teucrii, et Gentianae compoſito, tuto in inſidias inducitur.

(p. 146.)

1000. *P. Pamphilus*, P. D. F. alis integerrimis flauis ſubtus anticis ocello vnico poſticis cine-

nereis, faſcia, ocellisque quatuor obliteratis. F. Sp. 66. 300.

Linn. Syſt. Nat. 791. 239. Fn. Sv. 1044.
P. Menalcas Scop. Ent. Carn. 458.
Geoffr. Inſ. 2. 53. 21.
Merian Europ. t. 134.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 221. 691.
Herbſt Schm. VIII. t. 186. f. 7. 8. t. 187. f. 1-4.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 284.
P. Nephele Hübn. Pap. t. 51. f. 237-239.
Nymphalis Pamphilus Latr. H. N. XIV. 105. 52.

Hab. in pratis ſiluaticis, et in hortis incultis frequens in Cynoſuro criſtato.

1001. *P. Arcanius*, P. D. F. alis integerrimis ferrugineis ſubtus anticis ocello vnico, poſticis quinis, primo faſcia remoto. F. Sp. 67. 301.

Linn. Syſt. Nat. 791. 242. Fn. Sv. 1045.
P. Amyntas Scop. Ent. Carn. 457.
Geoffr. Inſ. 2. 53. 22.
Schaeff. Elem. t. 94. f. 3. Icon. t. 127. f. 4. 5.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 221. 692.
Herbſt. Schm. VIII. t. 188. f. 1. 2.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 291.
P. Arcania Hübn. Pap t. 51. f. 240-242.
Nymphalis Arcanius Latr. H. N. XIV. 105. 53.

Hab. in pratis ſiluaticis in Melica ciliata.

1002. *P. Megaera*, P. N. G. alis dentatis luteis fuſco-faſciatis, anticis ocello, poſticis ſupra quinis, ſubtus ſex. F. Sp. 73. 324.

Linn. Syſt. Nat. 771. 142.
Wilks Pap. 53. t. 2. 6. 3. Ammiral. t. 5.
Harris Inſ. t. 27. f. e. f. g. Eſper. Pap. t. 6. f. 3.
Schaeff. Icon. t. 148. f. 3. 4.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 94. 292.

Herbſt.

Herbſt. Pap. VIII. t. 207. f. 3. 4.
Hüb. Pap. t. 39. f. 177. 178.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 231.
Nymphalis Satyrus Latr. H. N. XIV. 103. 48.

Hab. ſiluas, et hortos frequens in graminoſis.

Pap. Megaerae putatam feminam Herbſt. Schm. l. c. fig. 5. 6. Esperi Pap. tab. 68. fig. 1. 2., quam ipſe olim *Maerae* annumerraueram, ill. Comes ab Hoffmansegg ſub *P. Adraſtae* nomine diſtinxit, e Germania transrhenana ſibi allatam. I.

1003. *P. Aegeria*, P. N. G. alis dentatis fuſcis, luteo-maculatis, vtrinque anticis ocello, poſticis ſupra ocellis, ſubtus punctis quatuor. F. Sp. 73. 325.

Linn. Syſt. Nat. 771. 143. Geoff. Inſ. 2. 48. 16.
Reaum. Inſ. 1. t. 27. f. 16. 17.
Roeſ. Inſ. 4. t. 33. f. 3. 4.
Esper Pap. 1. t. 7. f. 1. Petiv. Gazoph. t. 24. f. 3.
Schaeff. Icon. t. 75. f. 1. 2.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 94. 293.
Panzer Fn. Gèrm. 28. t. 21.
Herbſt. Schm. VIII. t. 217. f. 3. 4.
Hübn. Pap. t. 40. f. 181. 182.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 235.
Nymphalis Aegeria Latr. H. N. XIV. 102. 47.

Hab. ſiluas, et hortos frequens in Tritico repente.

Egeria, nec *Aegeria* ſcribendum eſt huius ſpeciei nomen. *Pap. Meonem* Esp. Herbſt. Hübn. Ochſenh. I. 237. ſpeciem ab *Egeria* diſtinctam eſſe, ill. Com. ab Hoffmansegg ipſi nunc perſuaſum eſt. I.

(p. 147)

1004. *P. Semele*, P. N. G. alis dentatis fuſcis fuluo ſubfaſciatis, poſticis albo nigroque variis. F. Sp. 76. 341.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 772. 148. Fn. Sv. 1051.
Petiv. Gazoph. t. 14. f. 9. Esp. Pap. 1. t. 8. f. 1.
Sulz. Hiſt. Inſ. t. 17. f. 5. 6.
Schaeff. Icon. t. 207. f. 3. 4.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 232. 725.
Panzer Fn. Germ. 76. t. 23.
Herbſt. Schm. VIII. t. 211. f. 5-8.
Hübn. Pap. t. 31. f. 143. 144.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 197.
Nymphalis Semele Latr. H. N. XIV. 99. 40.

Hab. in ſiluis frequens.

1005. *P. Hermione*, P. N. G. alis dentatis fuſcis faſcia pallida, anticis ocellis ſupra duobus, ſubtus vnico. F. Sp. 77. 341.

Linn. Syſt. Nat. 773. 149.
Geoffr. Inſ. 2. 46. 13. Silene.
P. Fagi Scop. Ent. Carn. 428.
♀ *P. Hermione* Fabr. Ent. ſyſt. III. 232. 727.
Herbſt. Schm. VIII. t. 215. f. 3-6.
Hübn. Pap. t. 27. f. 122-124.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 188.
Nymphalis Hermione Latr. H. N. XIV. 97. 35.

Hab. ſiluas in Holco lanato.

Cel. Roſſi Esp. Pap. I. t. 8. f. 2., Röſel. Inſ. 3. t. 34. f. 5. 6 allegauerat, quae *P. Alcyonem* ſyſt. Viennenſ. II. 194. 21. ſpectant, cum *Hermione* confuſam, et Schaefferi Icon tab. 274. fig. 5. 6. t. 277. f. 1. 2. ſecundum Fabricium adſcripſerat, quae ad *Pm. Briſeida* pertinent. Vtrumque citatum itaque delendum erat. I.

1006. *P. Circe*, P. N. G. alis dentatis fuſcis, faſcia vtrinque alba, anticis ocello vnico. F. Sp. 77. 342.

P. Proſerpina Vien. Verz. 299. t. 1. a. 9. 1. 6.
Schaeff Icon. t. 82. f. 1. 2.
♀ *P. Circe* Fabr. Ent. ſyſt. III. 233. 728.
P. Proſerpina Herbſt. Schm. VIII. t. 216. f. 1-4.
P. Proſerpina Hübn. Pap. t. 26. f. 119-121.
P. Proſerpina Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 186.
Nymphalis Circe Latr. H. N. XIV. 97. 34.

Hab. in graminoſis non rarus.

(p. 148.)

1007. *P. Phaedra*, P. N. G. alis dentatis fuſcis concoloribus, anticis ocellis duobus violaceis. F. Sp. 78. 343.
Linn. Syſt. Nat. 773. 150.
P. Dryas Scop. E. C. 429.
Esp. Pap. t. 40. f. 1. 2.
Schaeff. Icon. t. 210. f. 1. 2.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 233. 729.
Herbſt. Schm. VIII. t. 199. f. 1-4.
Hübn. Pap. t. 28. f. 127-129.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 195.
Nymphalis Phaedra Latr. H. N. XIV. 100. 41.

Hab. ſiluas in Auena elatiore, rarus.

1008. *P. Ligea*, P. N. G. alis dentatis fuſcis, faſcia rufa, vtrinque anticis ocellis quatuor, poſticis tribus. F. Sp. 78. 347.
Linn. Syſt. Nat. 772. 144. Fn. Sv. 1050.
De Geer Inſ. 2. t. 2. f. 7. 8.
Albin. Inſ. t. 5. f. 1.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 234. 732.
Herbſt. Schm. VIII. t. 208. f. 5-8.
Hübn. Pap. t. 49. f. 225-227.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 266.
Nymphalis Ligea Latr. H. N. XIV. 100. 42.
Variet: P. Philomela Hübn. Pap. t. 47. f. 218. 219.

Hab.

Hab. in ſiluis rarior.

Esperi *P. Ligea* t. 7. f. 2. et Schaeff. Icon. t. 183. f. 2. 3., ab Auctore citata, ad *P. Meduſam* Fabr. ſpectant. Citatum ex Albino extricare nequeo, in tabula 5 enim nulla figura 1 reperitur. I.

1009. *P. Galathea*, P. N. G. alis dentatis, albo nigroque variis, ſubtus anticis ocello vnico, poſticis quinque obſoletis. F. Sp. 79. 349.

Linn. Syſt. Nat. 772. 147.
Geoffr. Inſ. 2. 74. 46. t. 11. f. 3. 4.
Roeſ. Inſ. 3. t. 37. f. 1. 2. Esp. Pap. 1. t. 7. f. 3.
Schaeff. Icon. t. 98. f. 7. 8. 9.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 239. 745.
Panzer Fn. Germ. 28. t. 24.
Herbſt. Schm. VIII. t. 183. f. 3. 4.
Hübn. Pap. t. 41. f. 183-185.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 238.
Nymphalis Galathea Latr. H. N. XIV. 107. 54.

Hab. in Phleo pratenſi non frequens.

P. Procida Herbſtii l. c. f. 5. 6. varietas eſt, quae nigro colore abundat, *P. Leucomelas* Esperi et Hübneri alia varietas eſt, quae omni alae poſticae inferioris pictura caret; *P. Galathea* vulgaris his intermedia eſt. I.

1010. *P. Piloſellae*, P. alis dentatis fuſcis diſco fuluo, anticis vtrinque ocello nigro, pupilla gemina. F. Sp. 80. 355.

Geoffr. Inſ. 2. 52. 60.
P. Tithonius Linn. Mant. 1. 537.
♀ *P. Tithonius* Herbſt. Schm. VIII. t. 189. f. 5-8.
P. Piloſellae Fabr. Ent. ſyſt. III. 240. 748.
P. Herſe Hübn. Pap. t. 35. f. 156. 157.
P. Herſe Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 213.
Nymphalis Piloſellae Latr. H N. XIV. 104. 50.

Hab. ruri frequens.

Schaef-

Schaefferi Icon. t. 213. f. 1. quam Auctor allegat, ad *P. Eudoram* ſpectare videtur, cui acutiſſimum Ochſenheimerum conſentientem video. I.

(p. 149.)

1011. *P. Ianira*, P. N. G. alis dentatis fuſcis anticis ſubtus luteis ocello vtrinque vnico, poſticis ſubtus punctis tribus. F. Sp. 81. 358.
Linn. Syſt. Nat. 774. 156. Fn. Sv. 1053.
Geoffr. Inſ. 2. 49. 17.
Esp. Pap. 1. t. 10. f. 1. Alb. Inſ. t. 53. f. b.
Schaeff. Icon. t. 273. f. 1. 2. 5. 6.
♀ *P. Ianira α.* Fabr. Ent. ſyſt. III. 241. 752. mas.
P. Ianirus mas. Herbſt. Schm. VIII. t. 206. f. 7. 8.
P. Iurtinae mas. Hübn. Pap. t. 36. f. 160.
P. Iurtina mas. Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 217.

Hab. paſſim.

1012. *P. Iurtina*, P. N. G. alis dentatis fuſcis anticis ſupra litura flaua ocello vtrinque vnico, poſticis coecis. F. Sp. 81. 359.
Linn. Syſt. Nat. 774. 155. Fn. Sv. 152.
Geoffr. Inſ. 2. 50. 18.
Roeſ. Inſ. app. 1. t. 34. f. 7. 8.
Reaum. Inſ. 1. t. 11. f. 1. Alb. Inſ. t. 53.
♀ *P. Ianira β.* Fabr. l. c. 752. β. Femina.
P. Ianirus Fem. Herbſt. l. c. t. 207. f. 1. 2.
P. Iurtinae Fem. Hübn. l. c. f. 161. 162.
P. Iurtina Fem. Ochſenh. l. c.
Nymphalis Ianira Latr. H. N. XIV. 104. 51.

Sexus alter prioris, ſcil. femina. Hab. cum praecedente.

1013. *P. Cardui*, P. N. G. alis dentatis fuluis albo nigroque variegatis, poſticis ſubtus ocellis quatuor. F. Sp. 82. 364.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 774. 157. Fn. Sv. 1054.
Geoffr. Inſ. 2. 41. 7.
Ray. Inſ. 122. 13.
P Carduelis Cram. Inſ. 3. t. 26. f. E. F.
Reaum. Inſ. 1. t. 26. f. 11. 12.
Roeſ. Inſ. 1. Pap. 1. t. 10. Alb. Inſ. t. 56.
Schaeff. Icon. t. 97. f. 5. 6.
♀ Fabr. Ent. ſyſt. III. 104. 320.
Panzer Fn. Germ. 22. t. 19.
Hübn. Pap. t. 15. f. 73. 74.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 129.
Nymphalis Cardui Latr. H. N. XIV. 87. 12.

Hab. in Carduis, frequens in hortis.

(p. 150.)

1014. *P. Iris*, P. N. G. alis dentatis vtrinque faſcia albida interrupta, ocelloque vnico. F. Sp. 86. 382.

Linn. Syſt. Nat. 775. 161.
Geoffr. Inſ. 2. 61. 29.
Roeſ. Inſ. 3. t. 42.
Sulz. Inſ. t. 14. f. 86. Esp. Pap. 1. t. 11. f. 1.
Schaeff. Icon. t. 52. f. 1. 2. 3.
♀ Roſſi Mantiſſa 344.
P. Iris Fabr. Ent. ſyſt. III. 110. 339.
P. Beroë ibid. 111. 341.
P. Iris Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 174.
Nymphalis Iris Latr. H. N. XIV. 90. 18.
Nymphalis Beroë ibid. 19.
P. Iris Hübn. Pap. t. 25. f. 117. 118. t. 114. f. 584.
P. Iris Panz. Fn. Germ. 79. t. 23.
P. Iris Herbſt. Schm. VIII. t. 226. f. 6. t. 227. f. 1. 2.
P. Beroë ibid. t. 229. f. 3-6. t. 230. f. 1. 2.

Variat colore nigro, et flauo. Hab. in Salice, Fraxino, rarus.

In

In Mantiſſa cl. Auctor varietatibus ipſam *P. Iliam* Fabr. adſociauit, quae tamen ſpecies diſtincta eſt. Caeterum acutiſſimo Ochſenheimero in coniungendis hinc *Beroë* cum *Iride,* illinc *Clytie* Vien. Hübn. et *Iride rubeſcente* Esp. Herbſt. cum *Ilia* Fabr. conſentimus. I.

1015. *P. Populi*, P. N. P. alis dentatis fuſcis albo-faſciatis, maculatisque, ſubtus luteis albo-faſciatis, maculis coeruleſcentibus. F. Sp. 87. 386.

Linn. Syſt. Nat. 776. 162. Fn. Sv. 1055.
Ray. Inſ. 126. 2.
Roeſ. Inſ. 3. t. 33 f. 1. 2. Esp. Pap. 1. t. 12. f. 1.
Schaeff. Icon. t. 40. f. 8. 9.
♀ *P. Populi* Fabr. Ent. ſyſt. III. 111. 343.
Panzer Fn. Germ. 28. t 22.
Herbſt. Schm. IX. t. 233. f. 5. 6. t. 234. f. 1. 2.
Hübn. Pap. t. 23. f. 108 - 110.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 167.
Nymphalis Populi Latr. H. N. XIV. 88. 14.

Hab. in Populo tremula, rarus.

1016. *P. Antiopa*, P. N. P. alis angulatis nigris limbo albido. F. Sp. 89. 394.

Linn. Syſt. Nat. 776. 165. Fn. Sv. 1056.
Geoffr. Inſ. 2. 35. I.
Ray. Inſ. 135. 136.
De Geer Inſ. 1. t. 21. f. 8. 9.
Roeſ. Inſ. 1. Pap. 1. t. 1. Esp. Pap. 1. t. 12. f. 2.
Schaeff. Elem. t. 94. f. 1. Icon. t. 70. f. 1. 2.
♀ *P. Antiopa* Fabr. Ent. ſyſt. III. 115. 355.
Panzer Fn. Germ. 89. t. 23.
Herbſt. Schm. VII. t. 167. f. 5. 6. t. 168. f. 1. 2.
Hübn. Pap. t. 16. f. 79. 80.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 137.
Nymphalis Antiopa Latr. H. N. XIV. 83. 2.

Va-

Variat limbo albo, et flaueſcente. Hab. in Salice, ſat frequens.

(p. 151.)

1017. *P. Atalanta*, P. N. P. alis dentatis nigris albo-maculatis, faſcia communi purpurea anticis vtrinque poſticis marginali. F. Sp. 90. 397.
Linn. Syſt. Nat. 779. 175. Fn. Sv. 1060.
Geoffr. Inſ. 2. 40. 6.
Reaum. Inſ. 1. t. 10. f. 8. 9.
De Geer Inſ. 1. t. 22. f. 5.
Roeſ. Inſ. 1. Pap. 1. t. 6.
Schaeff. Icon. t. 148. f. 1. 2.
♀ *P. Atalanta* Fabr. Ent. ſyſt. III. 118. 362.
Panzer Fn. Germ. 22. t. 20.
Herbſt. Schm. VII. t. 180. f. 3. 4.
Hübn. Pap. t. 15. f. 75. 76.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 131.
Nymphalis Atalanta Latr. H. N. XIV. 86. 10.

Hab. in Vrtica vrente, frequens in hortis. Amat colorem album: ab eo qui cinxerit laeuam ſudariolo albo facile capitur.

1018. *P. Polychloros*, P. N. P. alis angulatis fuluis nigro-maculatis, anticis ſupra punctis quatuor nigris. F. Sp. 92. 404.
Linn. Syſt. Nat. 777. 166. Fn. Sv. 1057.
Geoffr. Inſ. 2. 37. 3.
Ray. Inſ. 118. 2.
Reaum. Inſ. 1. t. 23. f. 2.
Merian Europ. 52. t. 52. Alb. Inſ. t. 55.
Roeſ. Inſ. 1. Pap. 1. t. 2. Eſp. Pap. 1. t. 13. f. 1.
Schaeff. Icon. t. 146. f. 1. 2.
♀ *P. Polychloros* Fabr. Ent. ſyſt. III. 121. 372.
Panz. Fn. Germ. 89. t. 24.

Herbſt.

Herbſt. Schm. VII. t. 163. f. 5-8.
Hübn. Pap. t. 17. f. 81. 82.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 141.
Nymphalis Polychloros Latr. H. N. XIV. 833.
Varietas: P. Teſtudo Herbſt. l. c. t. 164. f. 1-4.

Hab. in Vlmo campeſtri non frequens.

P. Polychloros Cram. Vitl. Cap. XXVIII. t. 330. f. C. D. aperte *P. V. album* Fabricii eſt. I.

1019 *P. V. Album?* P. N. P. alis angulatis fuluis nigro-ſubmaculatis, poſticis ſubtus ſtriis fuſco variis confuſis, et V. albo notatis.

An *P. V. album* F. Mant. 50. 489.? *P. V. album* Vien. Verz. 1767.?

♀ *P. Triangulum* Fabr. Ent ſyſt. III. 125. 381.
P. Vau album Esp. Eur. Schm. I. t. 52. f. 1.
P. L. album ibid. t. 95. f. 4.
P. Egea Herbſt. Schm. VII. t. 160. f. 5. 6.
P. V. album ibid. t. 181. f. 1. 2.
P. L. album Hübn. Pap. t. 19. f. 90. 91.
P. L. album Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 152.
Nymphalis Triangulum Latr. H. N. XIV. 85. 7.

Similis *P. C. Album*, ſed alae minus angulatae, et maculis nigris rarioribus obſoletis aſperſae; poſticae ſubtus magis albidae. Hab. in Salice: Copioſus in hortis; et ſpecie diſtinctus.

Roſſii Papilionem ad *P. Triangulum* Fabr. pertinere, non dubium eſt. *P. V. album* Fabr. et Vienn. ab eo admodum differt. I.

(p. 152.)

1020. *P. Vrticae*, P. N. P. alis angulatis fuluis nigro-maculatis. anticis ſupra punctis nigris tribus. F. Sp. 92. 405.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 777. 167. Fn. Sv. 1058.
Geoffr. Inſ. 2. 37. 4.
Ray. Inſ. 117. 1.
Reaum. Inſ. 1. t. 26. f. 6. 7. Geod. Inſ. 3. t. 3.
Esp. Pap. 1. t. 13. f. 2. Merian. Europ. 44. t. 44.
Schaeff. Icon. t. 142. f. 1. 2.
♀ *P. Vrticae* Fabr. Ent. ſyſt. III. 122. 374.
Herbſt. Schm. VII. t. 165. f. 1. 2.
Hübn. Pap. t. 18. f. 87-89.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 146.
Nymphalis Vrticae Latr. H. N. XIV. 84. 5.

Hab. in Vrtica Dioica, vulgatiſſimus; ſed Piſis a me numquam inuentus.

1021. *P. C. album*, P. N. P. alis angulatis fuluis nigro-maculatis, poſticis ſubtus C. Albo notatis. F. Sp. 93. 409.
Linn. Syſt. Nat. 778. 168. Fn. Sv. 1059.
Geoffr. Inſ. 2. 38. 5.
P. Vlmariae ſimilis Ray. Inſ. 118. 3.
Reaum. Inſ. 1. t. 27. f. 9. 10.
De Geer Inſ. 1. t. 20. f. 9. 10.
Roeſ. Inſ. 1. Pap. 1. t. 5. Merian Eur. t. 14. f. 1.
Schaeff. Icon. t. 147. f. 3. 4.
♀ *P. C. album* Fabr. Ent. ſyſt. III. 124. 380.
Herbſt. Schm. VII. t. 161. f. 3-6.
Hübn. Pap. t. 19. f. 92. 93.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 149.
Nymphalis C. album Latr. H. N. XIV. 84. 6.

Hab. in Salice: inueni etiam in Vlmo. Imago frequens in hortis.

Cl. Ochſenheimer *P. F. album* Fabr. Ent. III. 140. 431. Esp. Pap. Eur. t. 87. f. 1. varietatem *C. albi* ſuſpicatur, cui vero aſſentiri non audeo. A *P. C. albo* alium maiorem pallidius coloratum diſtin-

ſtinguunt ſub nomine *G. album*, qui quaſi intermedius eſt inter illum et *P. Triangulum*. Dubia ſpecies videtur. I.

1022. *P. Hypſipyle*, P. N. P. alis dentatis flauis nigro variis apice radiatis: poſticis punctis ſeptem rubris. F. Mant. 51. 504.

P. Rumina Esp. Pap. t. 15. f. 1. t. 53. f. 2.
P. Hypermneſtra Scop. Ent. Carn. 425. Roeſ. T. IV. t. 7. f. 1. 2. Schaeff. Icon. t. 120. f. 1. 2.
♀ *P. Hypſipyle* Fabr. Ent. ſyſt. III. 214. 668.
Panzer Fn. Germ. 34. t. 22.
P. Polyxena Herbſt. Schm. IX. t. 250. f. 1. 2.
P. Polyxena Hübn. Pap. t. 78. f. 392. 393.
P. Polyxena Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 398.
Parnaſſius Hypſipyle Latr. H. N. XIV. 111. 3.

Alae antice ſupra puncto vnico rubro plerumque notatae. Hab. Piſis primo vere non rarus.

(p. 153.)

1023. *P. Sibylla*, P. N. P. alis dentatis ſupra nigris ſubtus ferrugineis, faſcia vtrinque maculari alba. F. Sp. 102. 451.

Linn. Syſt. Nat. 781. 186.
Geoffr. Inſ. 2. 73. 45.
Roeſ. Inſ. 3. t. 70. f. 1. 2. 3. t. 33. f. 3. 4.
Esp. Pap. 1. t. 38. ſuppl. 14. f. 2.
Schaeff. Icon. t. 153. f. 1. 2.
♀ *P. Sibylla* Fabr. Ent. ſyſt. III. 246. 766.
P. Camilla Linn. S. N. 2. 781. 187. Muſ. L. Vlr. 304.
P. Sibylla Panz. Fn. Germ. 87. t. 23.
P. Sibylla Herbſt. Schm. IX. t. 234. f. 3-6.
P. Camilla Esp. P. Eur. t. 14. f. 3.
P. Sibylla Hübn. Pap. t. 22. f. 103-105.

P. Sibylla Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 159.
Nymphalis Lucilla Latr. H. N. XIV. 89. 15.

P. Camilla nunquam inuentus. Hab. ſiluas in Caprifolio frequens.

Drury Illuſtr. II. t. 16. f. 1. 2. a Fabricio citata, ad *P. Camillam* Fabr. pertinet. Crameri Inſ. X. t. 114. f. C. D., aeque allegatae, nec Sibyllam, nec Camillam ſpectant, quod comparatio iconum abunde docet. I.

1024. *P. Cinxia*, P. N. P. alis dentatis fuluis nigro-maculatis, poſticis ſubtus faſciis tribus albidis nigro-maculatis. F. Sp. 106. 465.

Linn. Syſt. Nat. 784. 205. Fn. Sv. 1063.
Geoffr. Inſ. 2. 45. 12.
Roeſ. Inſ. 4. t. 13.
De Geer Inſ. 2. t. 1. f. 17. 18.
Schaeff. Elem. t. 1. f. 9.
♀ *P. Cinxia* Fabr. Ent. ſyſt. III. 250. 779.
Vel *P. Cinxia* Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 62.
Vel *P. Delia* ibid. I. 59.
Nymphalis Cinxia Latr. H. N. XIV. 96. 33.

Hab. in Plantagine maiori, frequens etiam in hortis.

Vtrum *Cinxiam* an *Deliam* habuerit Auctor, extricare nequeo. Roeſelii, Schaefferi citata *Cinxiam* Linnaei ſ. *Deliam* Hübn. Ochſenh. ſpectant; De Geerii vero ad *Didymam* n. ſeu *Cinxiam* Hübn. Ochſenh. pertinet. Geoffroy plures ſpecies confudit; at Schaeff. Icon. t. 217. f. 3. 4., Auctori allegatae, plane repiciendae erant, *P. Leuanam* exh:bentes. I.

1025. *P. Daphne*, P. N. P. alis dentatis fuluis, nigro-maculatis, poſticis ſubtus flauis rufo-venoſis, apice ferrugineo-argentatis. F. Mant. 64. 602. *P.*

P. Daphne Wien. Verz. 177. 10.
♀ *P. Daphne* Fabr. Ent. ſyſt. III. 257. 798.
Herbſt. Schm. X. t. 273. f. 7-10.
Hübn. Pap. t. 9. f. 45. 46.
Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 105.
P. Chloris Esp Eur. Schm. I. t. 44. f. 3.
Nymphalis Daphne Latr. H. N. XIV. 93. 25.

Affinis videtur *P. Bellonae.* Alae omnes vti et anticae ſubtus fuluae nigro-maculatae. Poſticae ſubtus baſi flauae ferrugineo fere reticulatae, apice brunneae, argento nitidae punctis aliquot ocellaribus fuſcis. F. Larua ſpinoſa fuſca albido-lineata: ſpinis flauis. Hab. in Rubo.

1026. *P. Dia,* P. N. P. alis fuluis nigro-maculatis, poſticis faſciis tribus vireſcentibus. F. Sp. 107. 468.

P. Dia Linn. Syſt. Nat. 785. 207.
Esp. Pap. 1. t. 16. f. 4.
♀ *P. Dia* Fabr. Ent. ſyſt. III. 255. 792.
Herbſt. Schm. X. t. 273. f. 3-6.
Hübn. Pap. t. 6. f. 31-33.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 95.
Nymphalis Dia Latr. H. N. XIV. 93. 26.

Hab. in pratis ſiluaticis, non frequens.

Roeſelii Inſ. 4. t. 13. ad *Cinxiam,* Schaeff. Icon. t. 184. f. 2. 3. ad *Heben* Ochſenh. ſeu *Dictynnam* Esperi pertinent, vtrumque citatum Auctoris ideo omiſi. I.

(p. 154.)

1027. *P. Paphia,* P. N. P. alis dentatis fuluis nigro-maculatis ſubtus faſciis argenteis. F. Sp. 108. 472.

Linn. Syſt. Nat. 785. 209. Fn. Sv. 1064.
Geoffr. Inſ. 2. 42. 8.
Ray Inſ. 119. 4.
Roeſ. Inſ. 1. Pap. 1. t. 7.
Petiv. Muſ. 321. Esp. Pap. 1. t. 17. f. 1. 2.
Schaeff. Elem. t. 94. f. 2. Icon. t. 97. f. 3. 4.
♀ *P. Paphia* Fabr. Ent. ſyſt. III. 142. 438.
Herbſt. Schm. X. t. 261. f. 5-8. t. 262. f. 1-3.
Hübn. Pap. t. 14. f. 69. 70.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 124.
Nymphalis Paphia Latr. H. N. XIV. 91. 21.
Variet. P. Valeſiana Esp. Pap. Eur. t. 107. f. 1. 2.
Herbſt. Schm. X. t. 262. f. 4-7.
Nymphalis Valeſiana Latr. H. N. XIV. 92. 22.

Hab. in Viola Canina, frequens in ſiluis.

1028. *P. Lathonia*, P. N. P. alis dentatis luteis nigro-maculatis ſubtus maculatis 37 argenteis. F. Sp. 110. 481.

Linn. Syſt. Nat. 786. 213. Fn. Sv. 1068.
Geoffr. Inſ. 2. 120. 6.
Ray. Inſ. 120. 6.
Roeſ. Inſ. 3. t. 10.
Merian Europ. 2. t. 157. Esp. Pap. 1. t. 18. f. 2.
Schaeff. Icon. t. 143. f. 1. 2.
♀ *P. Lathonia* Fabr. Ent. ſyſt. III. 146. 449.
Herbſt. Schm. X. t. 263. f. 3-8. t. 264. f. 1-4.
Hübn. Pap. t. 11. f. 59. 60.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 110.
Nymphalis Lathonia Latr. H. N. XIV. 95. 29.

Hab. in Viola tricolori non rarus.

1029. *P. Pruni*, P. P. R. alis ſubcaudatis ſupra fuſcis, poſticis ſubtus faſcia marginali fulua nigro-punctata. F. Sp. 118. 526.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 788. 221. Fn. Sv. 1071.
Geoffr. Inſ. 2. 58. 28.
Roeſ. Inſ. 1. Pap. 2. t. 7.
Reaum. Inſ. 1 t. 28. f. 6. 7.
Schaeff. Elem. t. 94. f. 5.
♀ *Heſperia R. Pruni* Fabr. Ent. ſyſt. III. 277. 70.
P. Pruni Herbſt. Schm. XI. t. 307. f. 4. 5.
P. Pruni Hübn. Pap. t. 76. f. 386. 387.
P. Pruni Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 388.
Polyommatus Pruni Latr. H. N. XIV. 117. 2.

Hab. in Pruno domeſtica, frequens.

Geoffroyi Papilio admodum dubius eſt. Schaefferi Icon. t. 14. f. 1. 2 citatae reprimendae erant, ſequentem ſpectantes. I.

(p. 155)

1030. *P. Spini*, P. P. R. alis caudatis fuſcis, ſubtus cinereis, lunulis marginalibus fuluis, maculaque ani coeruleſcente. F. Mant. 68. 651.

P. ſpini Wien. Verz. 186. 5.
♀ *Heſperia R. Spini* Fabr. Ent. ſyſt. III. 278. 71.
Pap. Lynceus Esp. Eur. Schm. I. t. 39. fig. 5.
P. ſpini Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 381.
P. Spini Hübn. Pap. t. 75. f. 376. 377.
Schaeff. Icon. t. 14. f. 1. 2.

Hab. in ſiluis rarus.

1031. *P. Quercus*, P. P. R. alis ſubcaudatis coeruleſcentibus, ſubtus cinereis ſtriga alba punctoque ani gemino fuluo. F. Sp. 118. 527.

Linn. Syſt. Nat. 788. 222. Fn. Sv. 1072.
Geoffr. Inſ. 2. 57. 26.
Roeſ. Inſ. 1. pap. 2. t. 9.
Albin. Inſ. t. 52. f. a. b. Petiv. Gazoph. t. 11. f. 9.
Schaeff. Icon. t. 158. f. 4. 5.
♀ *Heſperia R. Quercus* Fabr. Ent. ſyſt. III. 278. 72.

Heſp.

Heſp. Quercus Panzer Fn. Germ. 21. tab. 21.
Pap. Quercus Herbſt. Schm. XI. t. 306. f. 1-4.
P. Quercus Hübn. Pap. t. 73. f. 368-370.
P. Quercus Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 374.
Polyommatus Quercus Latr. H. N. XIV. 116. 2.

Hab. in Quercu.

* 1032. *P. Coluteae*, P. P. R. ſupra coeruleus, ſubtus lineis vndulatis fuſcis, et albicantibus ſtriatus, alis ſecundariis infra faſcia alba, macula duplici nigro-aurata, et in imo caudatis.

Geoffr. Inſ. 2. 57. 25.
Reaum. Inſ. 2. t. 38. f. 10.
Ray. Inſ. 130. n. 9. Petiv. Muſ. 319.
♀ *P. Boeticus* Linn. S. N. 2. 789. 226.
P. Boeticus Roſſi Mant. 352.
Esp. Eur. Schm. I. t. 27. f. 3. a. b. t. 91. f. 3.
P. Coluteae Fueſsl. Schweiz. Inſ. 594. fig. 2.
P. Boeticus Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 378. 2.
P. Boeticus Hübn. Pap. t. 74. f. 373-375.
Polyommatus Boeticus Latr. H. N. XIV. 117. 4.

Hab. in Colutea; Imago frequens in floribus Mimoſae arboreae in horto Academico.

Ab hac ſpecie *P. Telicanum* Hübn. Pap. tab. 73. fig. 371. 372. tab. 108. fig. 553. 554. Herbſt. Schm. XI. tab. 305. fig. 6-9. Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 380. 3. *P. Boetici marem* Esp. Eur. Sch. t. 91. f. 2. bene quidem diſtinxere, at Fabricii *Heſperiam P. Boeticam* Ent. ſyſt. III. 280. 77. quae aperte ad eundem *Telicanum* ſpectat, minus recte cum *Boetico* Linn. coniunxere. I.

(p. 156.)

1033. *P. Rubi*, P. G. R. alis ſubcaudatis ſupra fuſcis ſubtus viridibus. F. Sp. 121. 539.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. 791. 237. Fn. Sv. 1077.
Geoffr. Inſ. 2. 64. 33.
Albin. Inſ. t. 5. f. 8. Petiv. Gazoph. t. 2. f. 11.
Schaeff. Icon. t. 29. f. 5. 6.
♀ *P. Rubi* Esp. Eur. Schm. I. t. 21. f. 2. t. 98. f. 1-4.
Herbſt. Schm. XI. t. 308. f. 5. 6.
Hübn. Pap. t. 72. f. 364. 365.
Ochſenheim. Schm. Sachſ. I. 370.
Heſperia R. Rubi Fabr. Ent. ſyſt. III. 287. 102.
Polyommatus Rubi Latr. H. N. XIV. 117. 5.

Hab. in Rubo fruticoſo.

1034. *P. Adonis*, P. P. R. alis integris coeruleis: ſtriga marginali atra, ſubtus cinereis: punctis ocellaribus numeroſis, poſticis macula centrali alba. F. Mant. 75. 694.
P. Adonis Vien. Verz. 184. 11.
P. Bellargus Esp. Pap. t. 32. f. 3.
♀ *P. Adonis* Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 323.
P. Adonis Herbſt. Schm. XI. t. 312. f. 7. 8. 9.
P. Ceronus ibid. t. 314. f. 7-9.
P. Adonis Hübn. Pap. t. 61. f. 298-300.
P. Ceronus ibid. f. 295-297.
Heſperia R. Adonis Fabr. Ent. ſyſt. III. 299. 134.
Panz. Fn. Germ. 80. t. 23. 24.
Polyommatus Adonis Latr. H. N. XIV. 118. 7.

Hab. in ſiluis rarus.

1035. *P. Argus*, P. P. R. alis ecaudatis poſticis ſubtus limbo ferrugineo, ocellis coeruleo-argenteis. F. Sp. 123. 550.
Linn. Syſt. Nat. 789. 232. Fn. Sv. 1074.
Geoffr. Inſ. 2. 63. 32.
Roeſ. Inſ. app. 1. t. 37. f. 3. 4. Merian Eur. t. 153.
Schaeff. Icon. t. 29. f. 3. 4. t. 168. f. 6. 7. femina.

β.

β. P. alis rotundatis coeruleis ſubtus ocellis numeroſis. Geoffr. Inſ. 2. 61. 30.

γ. P. alis rotundatis coeruleis ſubtus ocellorum faſcia ſolitaria. Geoffr. Inſ. 2. 63. 31.
Roeſ. Inſ. 3. t. 37. f. 4.

♀ I. *P. Argus* Ochſenh. Schm. Sachſ. I. 336.
Heſp. R. Argus Fabr. Ent. ſyſt. III. 296. 128.
P. Argus Herbſt. Schm. XI. t. 315. f. 1. 2. 3.
P. Argus Hübn. Pap. t. 64. f. 316-318.
Polyommatus Argus Latr. H. N. XIV. 118. 4.

II. *P. Oebalus* Muſ. Hellw. Hoffmansegg.
P. Alexis Ochſenh. l. c. 328.
P Alexis Hübn. Pap. t. 60. f. 292-294.
P. Icarus Herbſt. l. c. t. 312. f. 10-12.

III. *P. Semiargus* Borkhauſ. Eur. Schm. I. 172 et 282. 7. II. p. 234.
P. Acis Ochſenh. l. c. 306.
P. Argiolus Hübn. Pap. t. 56. f. 269-271.
P. Argiolus Herbſt. l. c. t. 310. 4. 5. 6.
Heſp R. Argiolus Fabr. Ent. ſyſt. III. 295. 123.
Polyommatus Argiolus Latr. H. N. XIV. 120. 14.

Hab. in hortis paſſim.

* 1291. *C. purpureo-lineatus*, ſcutellaris, flaueſcens capite attenuato, thorace elytrisque faſciis ſubpurpuraſcentibus.

♀ *Tetyra grammica* Muſ. Hellw. Hoffm.
Cimex grammicus Linn. Syſt. Nat. 2. 716. 7.
Tetyra flauolineata Fabr. Syſt. Rhyng. 141. 60.
Tetyra grammica Fabr. l. c. 137. 43.?
Scutellera flauolineata Latr. H. N. XII. 179. 8.

Minor *C. Mauro*, et ſtatura fere *C. acuminati*, inter vtrumque medius. Antennae nigrae. Caput flaueſcens, attenuatum, fronte obtuſa vti in *C. acuminato*, lineaque media duplici fuſca. Thorax flaueſcens faſciis longitudinalibus octo fuſco-purpureis. Scutellum ampliſſimum totum abdomen obtegens, magis etiam quam in *C. Mauro*, apice anguſtatum flaueſcens faſciis quatuor mediis abbreuiatis, binisque lateralibus integris purpureofuſcis. Abdomen ſubtus flaueſcens, globoſum, punctis minutiſſimis nigris adſperſum margine vnicolore, anoque non excauato. Pedes maximam partem liuidi Tab. VII. f. 2.

Hab. in pratis ſiluaticis rarus. Long. 4½, lat. 2½ lin.

Per totam Europam auſtralem occurrit. I.

1292. *C. pedemontanus*, ſcutellaris, fuſcus, atomis numeroſiſſimis albis. F. Sp. 342. 19.

♀ *Tetyra pedemontana* Fabr. Syſt Rhyng. 137. 42.
Scutellera pedemontana Latr. H. N. XII. 181. 15.

Ca-

Caput obſcure fuſcum immaculatum. Thorax et ſcutellum fuſca atomis, ſiue punctis paruis numeroſiſſimis ſparſis albis. Pedes nigri.
Semel ruri lectus. Long. 4, lat. 2 lin.

(p. 229.)

1293. *C. Scarabaeoides*, ſcutellaris corpore atro aeneo. F. Sp. 342. 25.

Geoffr. Inſ. 1. 435. 2.
Sulz. Inſ. 26. t. 11. f. 70.
Schaeff. Icon. t. 210 f. 3. a. 3. b.
♀ *Tetyra Globus* Fabr. Syſt. Rhyng. 143. 71.
Scutellera Globus Latr. H. N. XII. 183. 20.

Corpus magis latum quam longum. Ater ſubaeneus, laeuiſſimus, nitens, immaculatus. Antennae longitudine thoracis articulis quinque ſecundo breuiſſimo. Thorax latus, conuexus. Scutellum totum abdomen obtegens breue, obtuſiſſimum, ſub quo alae et elytra occultantur membranaceo hyalina venulis parallelis a margine craſſiori nigro ductis ad tenuiorem.
Hab. in Ononi ſpinoſa menſ. Iun. frequens, gregarius. Long. 1½, lat. 1½ lin.

Hanc *Tetyram Scarabaeoidem* non eſſe, ſed *Globum* Fabr. Entom. Auctori ipſi in Appendice p. 142. perſuaſum eſt. conf. ſequentem. Geoffroyi *Punaiſe cuiraſſée* potius hanc, quam ſequentem ſpectat. I.

1294. *C. tuberculatus?* ſcutellaris, obſcurus, ſcutello ſcabro, ante apicem tuberculato. F. Sp. 343. 30.

♀ *Tetyra Scarabaeoides* Fabr. Syſt Rhyng. 143. 70.
Scutellera Scarabaeoides Latr. H. N. XII. 812. 19.

Cor-

Corpus totum aeneum obſcurum. Thorax ſulco medio impreſſo transuerſo obſoleto. Scutellum magnum punctis eleuatis ſparſis ſcabrum, et ante apicem tuberculo magno eleuato obtuſo. Pedes nigricantes tibiis ſerratis.

Lectus ſemel in ſiluis ſub arborum cortice menſ. Ianuar. Long. 1½, lat. 1 lin.

Tetyra tuberculata Fabr. aenea non eſt. In Appendice p. 142. cl. Roſſi *Cim. tuberculatum* Faunae ſuae *Scarabaeoidem* eſſe, afferit; tunc vero ſcutelli deſcriptio delenda eſt. I.

1295. *C. albo-lineatus*, ſcutellaris, griſeus, albo-ſtriatus. F. Sp. 342. 22.

♀ *Tetyra albolineata* Fabr. Syſt. Rhyng. 140. 58.
Scutellera albolineata Latr. H. N. XII. 179. 7.
Cimex neruoſus Cyrill. Ent. Neap. I. tab. 6. fig. 10. male picta.

C. Mauro fere dimidio minor. Antennae pallidae. Caput elongatum, griſeum linea media albida. Thorax latus breuis, acute angulatus, griſeus, lineis quinque eleuatis albidis fere obſoletis, inprimis intermediis duabus. Scutellum griſeum lineis quinque marginibusque albis. Abdomen fuſcum margine griſeo punctis aliquot nigris. Pedes griſei.

Hab. ruri non frequens. Long. 3, lat. 2 lin.

(p. 230.)

* 1296. *C. neglectus*, ſcutellaris flaueſcens, ſcutello baſi punctis duobus nigris.

♀ *Tetyra neglecta* n. ſp.

Statura *C. Mauri*, ſed triplo minor, et corpore magis compreſſo. Proximus *C. Inuncto*. Totus

pallide

pallide flauus. Caput gibbum. Oculi nigri diſtantes. Scutellum baſi punctis duobus nigris. Abdominis margo ſubpunctatus. Alae albae.
Hab. in ſiluis ſub arborum cortice. Long. 1½, lat. 1⅓ lin.

** *Spinoſi thorace vtrinque ſpina armati.*

1297. *C. bidens*, thorace acute ſpinoſo, griſeus, antennis rufis. F. Sp. 344. 35.
Linn. Syſt. Nat. 718. 23. Fn. Sv. 921.
De Geer Inſ. 3. 259. 6. t. 13. f. 9.
Fuesly Inſ. Helv. 25. 482.
♀ *Cimex bidens* Fabr. Syſt. Rhyng. 155. 2.
Pentatoma bidens Latr. H. N. XII. 188. 16.
Puncta aliquot rufa in pectore.
Hab. ad truncos arborum. Long. 5⅔, lat. 3 lin.

1298. *C. rufipes*, thorace obtuſo ſpinoſo griſeus pedibus rubris. F. Sp. 344. 37.
Linn. S. N. 719. 24. Fn. Sv. 922.
De Geer Inſ. 3. 164. 2. Schrank. E. I. 518.
C. notatus Poda M. G. 56. 6.
Schaeff. Icon. t. 57. f. 6. 7. 8.
♀ *Cimex rufipes* Fabr. Syſt. Rhyng. 156. 5.
Pentatoma rufipes Latr. H. N. XII. 188. 14.
Hab. in plantis frequens. Long. 6½, lat. 3½ lin.

(p. 231.)

1299. *C. nigricornis*, thorace obtuſe ſpinoſo, ſubferrugineus, ſpinis antennisque nigris. F. Sp. 345. 39.
♀ *Cimex nigricornis* Fabr. Syſt. Rhyng. 157. 8.
Pentatoma nigricornis Latr. H. N. XII. 187. 11.
Antennae nigrae. Corpus nunc ferrugineum; nunc griſeum ſpinis thoracis apice nigris.

Hab.

Hab. in floribus floſculoſis frequens. Long. 5, lat. 3 lin.

1300. *C. albipes*, thorace ſubſpinoſo, ſupra nigricans, thoracis margine ſcutellique apice albis. F. Sp. 345. 42.

♀ *Cimex albipes* Fabr. Syſt. Rhyng. 158. 15.
Pentatoma albipes Latr. H. N. XII. 186. 6.

Corpus ſupra obſcurum; ſubtus pallidum. Antennae albo nigroque variae. Thoracis margo latere antico albidus. Scutellum apice album. Abdominis margo albo nigroque varius. Pedes pallidi.

Hab. in plantis non rarus. Long. 3, lat. 1¾ lin.

Noſtra ſpecimina ex Algaruia Luſitaniae ſunt. I.

1301. *C. marginatus*, thorace obtuſe ſpinoſo, abdomine marginato, acuto, antennis rufis. F. Sp. 349. 70.

Linn. Syſt. Nat. 719. 28.
C. auriculatus De Geer Inſ. 3. 272. 17.
Pod. M. G 55. 5. Scop. Ent. Carn. 363.
Schaeff. Icon. t. 41. f. 4. 5.
♀ *Coreus marginatus* Fabr. Syſt. Rhyng. 192. 6.
Latr. H. N. XII. 202. 3.
Geoffr. Inſ. 1. 446. 21.
Coreus Venator Coqueb. Ill. icon. II. t. 19. f. 7.

Color terreo-rufus Thorax obtuſe dentatus concauus. Elytra fuſco ſubaurata. Antennarum articuli 2. 3. et abdomen ſuperne rubro fului coloris.

Hab. in ſiluis et lauretis frequens. Long. 5¼, lat. 2½ lin.

Cim. marginatus Linn. Fn. Sv. 923. *Coreum Venatorem* Fabricii, et Geoffroyi Punaiſe n. 21. *Coreum Sco-*

Scapham eiusdem ſpectat; vtrumque citatum itaque omiſi. *Cor. marginatus* ſpinis duabus porrectis conuergentibus frontis anticae inter antennas thoracisque lateribus rotundatis ab affinibus differt. I.

(p. 232.)

1302. *C. ſpiniger,* thorace obtuſe-ſpinoſo, dentatoque, capite quadriſpinoſo. F. Sp. 350. 71.

♀ *Coreus ſpiniger* Fabr. Syſt. Rhyng. 194. 10.
Latr. H. N. XII. 202. 2.

Paullo minor *C. marginato*, et ſtatura omnino eadem. Antennae pallide-rufae primo articulo apice ſpinoſo, vltimo nigro. Caput griſeum antice ſpinis vtrinque duabus erectis acutis. Thorax griſeo-fuſcus, ſcaber margine eleuato in ſpinam obtuſam poſtice emarginatam, vel potius bidentatam. Scutellum griſeum apice album. Elytra griſea baſi albida. Alae fuſcae. Abdomen griſeum, margine prominente acuto, albo maculato. Pedes nigro-punctati.

Hab. cum praecedente non rarus. Long. 5, lat. 2 lin.

*** *Ouati thorace mutico.*

1303. *C. juniperinus*, ſubrotundus, viridis margine vndique ſcutelloque apice flauo. F. Sp. 354. 98.

Linn. Syſt. Nat. 722. 48. Fn. Sv. 930.
De Geer Inſ. 3. 231. t. 13. f. 1. 2.
Scop. Ent. Carn. 359. Schrank. E. I. 521.
♀ *Cimex juniperinus* Fabr. Syſt. Rhyng. 167. 60.
Pentatoma juniperina Latr. H. N. XII. 191. 23.
Schaeff. Icon. t. 46. f. 3.

Thoracis margo lateralis, et apex ſcutelli flaui coloris. Abdomen ſupra nigrum, ſubtus flauicans apice rubello quadridentato.

Habitat in Junipero, in Ribe. Long. 6½, lat. 3⅔ l.

Geoffroyi Punaiſe n. 61. ad *Cimicem diſſimilem* Fabr. Syſt. Rhyng. 167. 59. *Pentatomam diſſimilem* Latr. H. N. XII. 190. 22. refero, quoniam puncta ſuperficiei dorſalis fundo nigra deſcribit. Scopoli forte eundem deſignauit. Schaeff. Icon. t. 46. f. 1. 2. ſecundum cel. Panzerum *Praſinum* ſpectant. I.

(p. 233.)

1304. *C. torquatus*, ouatus, viridis, capite, thoraceque antice flaueſcentibus. F. Sp. 353. 93.

♀ *Varietas 1. capite thoraceque vnicoloribus.*

Cimex ſmaragdulus Fabr. Syſt. Rhyng. 167. 61.

Varietas 2. capitis thoracisque antico flauis.

Cimex torquatus Fabr. l. c. 166. 58.

Pentatoma torquata Latr. H. N. XII. 190. 20.

Magnitudo *C. juniperini*. Viridis, capitis, thoracisque margine antico flaueſcente.

Frequentiſſimus apud nos. In caule florente Verbaſci Thapſi cum *C. ſmaragdulo* copula iunctum pluries reperi. Certe mera varietas huius, qui omnino conuenit cum deſcriptione *C. ſmaragduli* Fabr. Syſt. Ent. 711. 69. Sub finem Septembris vterque recens declaratus ibidem occurrit et facile tunc eſt ſuadere ſibi identitatem ſpeciei. In vtroque color viridis, antennae apice albo fuſcoque annulatae, caput rotundatum; alae albae, et reliqua omnino ſimilia, capite, thoraceque exceptis in *C. torquato* antice rufeſcentibus. Puncta tria minutiſſima pallide-flaua, quae in vtro-

que

que ad ſcutelli baſin tunc manifeſte, et conſtanter apparent, (character a Fabricio aſſignatus *C. ſmaragdulo*) dubium omne remouere videntur. Alia etiam fere conſtans nota in vtroque obſeruata eſt: nempe punctum nigrum vix conſpicuum vtrinque in angulo baſeos ſcutelli, quod permanet in adultis, dum puncta pallide-flaua euaneſcere ſolent. Hab. in Verbaſco Thapſo, Calendula officinali, aliisque plantis. Long. 7, lat. 3½ lin.

Quae cl. Auctor de coniungendis *C. torquato* et *ſmaragdulo* Fabricii attulit, nulli dubio ſubiiciunt. Specimina *Smaragduli* e Madeira Inſula allata in Muſ. Hellw. Hoffm. conſeruata prorſus eadem ſunt cum illis, quae in Italia, Luſitania et Promontorio bon. Spei occurrunt. I.

1305. *C. praſinus*, ouatus, viridis, immaculatus, antennis apice albo fuſcoque annulatis. F. Sp. 354. 96.

Linn. Syſt. Nat. 722. 49. Fn. Sv. 931.
De Geer Inſ. 3. 266. 9.
Pod. M. G. 56. 10.
Schrank. E. I. 522.
♀ *Cimex praſinus* Fabr. Syſt. Rhyng. 166. 58.
Pantatoma praſina Latr. H. N. XII. 190. 21.

Totus viridis, ſcutello concolore, antennis apice albo fuſcoque annulatis.
Hab. paſſim. Long. 5½, lat. 3½ lin.

Schaeff. Icon. tab. 46. fig. 3 Auctori citata, *Iuniperino* adſcripſimus; fig. 1. 2. potius huc ſpectant, niſi *C. diſſimilem* Fabr. repraeſentent. I.

(p. 234.)

1306. *C. griſeus*, ouatus, griſeus, abdominis lateribus albo, nigroque variis, ventre antice ſpinoſo. F. Sp. 356. 110.

Linn. Syſt. Nat. 721. 43. Fn. Sv. 926.
Schrank. E. I. 523.
Cimex Betulae De Geer Inſ. 3. 261. 8. t. 14. f. 9.
C. nebuloſus Pod. M. G. 56. 8.
♀ *Cimex agathinus* Fabr. Syſt. Rhyng. 170. 82.
Pantatoma agathina Latr. H. N. XII. 191. 26.

Magnitudine variat.
Hab. in plantis, muris, feneſtris hortorum frequens.
Long. 4, lat. 2 lin.

Schaeff. Icon. t. 46. f. 7. 8. quas Auctor adducit, *C. Lyncem* Fabr. ſpectant. *C. griſeus* Fabr. Syſt. Rhyng. 171. 87. Panz. Fn. Germ. 33. t. 19. *Pent. griſea* Latr. H. N. XII. 192. 29. ſpecies a Linnaeana admodum diſtincta eſt duplo maior, antennis nigro alboque annulatis, hemelytrorum membrana fuſco-punctata. Quam cum *C. Baccarum* confudit Geoffroy Inſ. I. 466. 64. Cl. Schrank En. Auſtr. 526. eam C. *interſtinctum* Linnaei putauit; nobis *Punctipennis* audit. I.

1307. *C. interſtinctus*, ouatus, abdominis margine nigro-maculato. F. Sp. 356. 111.
Linn. S. N. 721. 44. Fn. Sv. 927.
Schrank. E. I. 526.

Color dorſi ſub alis ruber diſtinguit a *C. griſeo*.
Hab. in hortis. Long. 6¾, lat. 3½ lin.

Nulla citata addere, conſultius videbatur. Linnaei *C. interſtinctus* eius *C. griſei* ſeu *agathini* Fabricii femina eſt, hemelytri membrana nunc hyalina immaculata, nunc nebuloſa. Fabricius *Interſtinctum* ſuum non explicauit; Schrankii *Cim. interſtinctus* noſter *C. punctipennis* ſeu *griſeus* Fabricii et Panzeri eſt; Latreille *Pentatomam interſtinctam* ſuam H. N. XII. 192. 30. non vidiſſe videtur; color dorſi ruber quidem ſolus *Interſtinctum* Linnaei ab eius *Griſeo* diſtinguit, neutiquam vero a *Pentato-*

ma

ma griſea Latr., quae noſtra *Punctipennis* eſt, et pluribus notis admodum differt. Roſſii *Cim. interſtinctus*, cui eadem annotata ſunt, inde dubius euadit, quod Cimicem ſuum tribus fere lineis longiorem et ſesquialtera latiorem deſcripſit. Ne *C. interſtinctum* Roſſii *Punctipennem* noſtrum habeamus, eadem de dorſo rubro monita prohibent; *Punctipennis* enim dorſo ſemper nigro eſt. I.

1308. *C. baccarum*, ouatus ſubſuluus abdominis margine fuſco-maculato. F. Sp. 356. 115.

Linn. S. N. 721. 45. Fn. Sv 928.

Geoffr. Inſ. 1. 466. 64. (var.)

C. Verbaſci De Geer Inſ. 3. 257. 4. t. 14. f. 5.

Scop. Ent. Carn. 360. Schrank. E. I. 525.

Schaeff. Icon. t. 4 . f. 1. 3.

♀ *Cimex baccarum* Fabr. Syſt. Rhyng. 172. 92.

Pentatoma baccarum Latr. H. N. XII. 193. 31.

Hab. in baccis. Long. 5, lat. 2½ lin.

(p. 235.)

1309. *C. feſtiuus*, ouatus, nigro rubroque varius, thorace punctis ſex nigris, alis fuſcis margine albido. F. Sp. 358. 120.

Linn. S. N. 723. 57.

Cimex dominulus Scop. Ent. Carn. 362. Schrank. E. I. 537.

Geoffr. Inſ. 1. 469. 69.

Schaeff. Icon. t. 272. f. 3. 4.

♀ *Cimex feſtiuus* Fabr. Syſt. Rhyng. 173. 95.

Pentatoma feſtiua Latr. H. N. XII. 194. 36.

Var.: C. ornatus Fabr. l. c. 172. 93.

Pentatoma ornata Latr. l. c. 35.

Deſcriptio *Scopoliana* affabre facta, ſed *Geoffroyana* optima. Color tamen pedum in feminis quandoque variat femoribus albidis nigro-maculatis. Occur-

Occurrit etiam alia varietas, quae colore tantum differt ſaturate coeruleo albidoque vario.
Hab. frequens in plantis oleraceis, praeſertim in Rapa et Raphano. Long. 4, 4½, lat. 2, 2¼ lin.

Sunt quibus color atro-caeruleo, rubro alboque varius ſit. Hemelytrorum membrana omnibus obſcura hyalino-marginata eſt. Reliqui corporis color ita variat, vt *Feſtiuum* ab *Ornato* diſtinguere neſcias. Varietas rariſſima ſupra tota rubra, thorace antice lineolis duabus, ſcutello macula baſeos media, hemelytrique margine iuxta ſcutellum nigris eſt. I.

1310. *C. bipunctatus*, ouatus, obſcure rufus, ſcutello punctis duobus, apiceque albis, abdominis margine nigro-punctato. F. Sp. 358. 124.
♀ *Cimex bipunctatus* Fabr. Syſt. Rhyng. 176. 108.
Coqueb. Illuſtr. icon. II. tab. 19. fig. 1.
Pentatoma bipunctata Latr. H. N. XII. 195. 37.
Magnitudo *C. oleracei.* Caput fuſcum antennis baſi pallidis apice nigris. Thorax et elytra obſcure rufa. Scutellum concolor punctis duobus eleuatis ad baſin apiceque albo. Corpus ſubtus griſeum margine abdominis tenuiſſime albo nigro-punctato. Pedes pallidi.
Hab. in plantis. "Iun. menſ. frequens copioſus in ſpicis floriferis Teucrii Scorodoniae." (App. p. 142.) Long. 3, lat. 1¾ lin.

Etiam in Luſitania occurrit. I.

* 1311. *C. fucatus*, ouatus, griſeo-cinereus, capite nigro, thorace faſcia antica, laciniata, ſcutello baſi punctis duobus albis.
C. Melanocephalo proximus.
An *C. Guttigerus* Thunb. N. I. S. f. 47. 1783?

♀ *Ci-*

♀ *Cimicis melanocephali* varietas. Muſ. Hellw. Hoffm.
Cydnus perlatus Fabr. Syſt. Rhyng. 187. 15.
Pentatoma perlata Latr. H. N. XII. 193. 32.
Var.: Cydnus melanocephalus Fabr. l. c. 14.
Pentatoma melanocephala Latr. l. c. 194. 34.
Cimex venuſtiſſimus Schrank. E. I. 535.

Similis *C. 2punctato*, at paullo minor. Caput nigrum. Antennae filiformes. Thorax antice vtrinque puncto nigro, et faſcia ad marginem alba laciniata. Scutellum griſeum baſi punctis duobus albis. Hemelytra anguſta griſea punctulata. Pedes pallidi. Abdomen ſubtus in medio macula magna oblonga aeneo-nitida. "An praecedentis mera varietas?" (App. p. 442.)
Hab. in paſcuis et aruis, etiam in horto academico Piſano. Long. 2, lat. 1½ lin.

C. bipunctato admodum affinis quidem, at ſpecie diſtinctus eſt, *Melanocephalus* vero leuis tantum varietas eſt. Fabricius eum *Cydnis* annumerat, *Bipunctatum* Cimicibus. Nobis Cimicis ſpecies eſt. I.

(p. 236.)

1312. *C. bicolor*, ouatus, niger, elytris nigro alboque variis, alis albis. F. Sp. 358. 125.
Linn. S. N. 722. 55. Fn. Sv. 936.
Geoffr. Inſ. 1. 470. 73.
De Geer Inſ. 3. 268. 12.
Pod. M. G. 57. 12. Scop. Ent. Carn. 357. Schrank. E. I. 534.
Schaeff. Icon. t. 41. f. 8. 9.
♀ *Cimex bicolor* Fabr. Syſt. Rhyng. 176. 109.
Pentatoma bicolor Latr. H. N. XII. 196. 42.

Hab. in hortis, non rarus in Sambuco. Long. 3, lat. 1⅔ lin.

Eodem iure, quo reliquae Cydnorum ſpecies, *C. bicolor* Cydnis annumerandus eſt, at conferantur, qui ſub *C. triſti* n. 1315. de Cydni genere annotauimus. I.

1313. *C. oleraceus*, ouatus, coeruleo-aeneus, thorace lineola, ſcutello apice, elytrisque puncto albo rubroue. F. Sp. 359. 126.

Linn. S. N. 722. 53. Fn. Sv. 934.
Geoffr. Inſ. 1. 471. 74.
De Geer Inſ. 3. 266. 10. t. 15. f. 22.
Pod. M. G. 57. 11. Schrank. E. I. 532.
Fuesly Inſ. Helv. 25. 492.
Schaeff. Icon. t. 46. f. 4. 5. 6.
♀ *Cimex oleraceus* Fabr. Syſt. Rhyng. 177. 112.
Pentatoma oleracea Latr. H. N. XII. 195. 38.

C. flauatus et *C. albomarginatus* Schrankii et Schaefferi merae huius varietates videntur.

Hab. in plantis oleraceis copioſus. Long. 3, 3½, lat. 1⅔, 2 lin.

Cim. flauatus Schrankii varietas *Oleracei*, eiusdem *albomarginatus* vero *Cim. albomarginellus* Fabricii eſt. I.

(p. 237.)

1314. *C. coeruleus*, ouatus, coeruleus, immaculatus. F. Sp. 359. 129.

Linn Syſt. Nat. 722. 50. Fn. Sv. 933.
Geoffr. Inſ. 1. 472. 75.
Schrank. E. I. 530.
Fuesly Inſ. Helv. 25. 489.
Schaeff. Icon. t. 51. f. 4.
♀ *Cimex coeruleus* Fabr. Syſt. Rhyng. 178. 119.
Pentatoma coerulea Latr. H. N. XII. 196. 40.

Hab. in hortis minus frequens. Long. 3, lat. 2 lin.

1315. *C. triſtis*, ouatus, ater clypeo orbiculato, thorace retuſo. F. Sp. 360. 131.

De Geer Inſ. 3. 269. 13.
Schaeff. Icon. t. 82. f. 6.
C. ſpinipes Schrank. Fn. Auſtr. 527.
♀ *Cimex triſtis* Muſ. Hellw. Hoffm.
Cydnus triſtis Fabr. Syſt. Rhyng. 185. 7.
Pentatoma triſtis Latr. H. N. XII. 198. 46.

Totus aterrimus nitidus, tenuiſſime punctatus. Thorax quamdam habet ephippii formam, id eſt baſi apiceque eleuatior eſt, medio depreſſiuſculus. Appendices alaeformes albae. Pedes pleni exiguis ſpinis. Alia habeo ſpecimina magnitudine triplo minora, quae mihi viſa ſunt in reliquis omnino priori ſimillima. Forte varietas a Geoffroy notata n. 71? E deſcriptionibus eruere tuto non potui, et *Cim. Morio* videtur cum hoc confuſus. Fig. 11. t. 57. Ic. Schaefferi a Fabricio citata pertinet ad *C. dubium* Scop. vel *albomarginatum* Schrankii (*Cim. albomarginellum* Fabr.) "*Cim. carbonarius* Ent. Par. magnitudine maiori a Schrankio diſtinctus a *C. Morio*, ſeu *C. fumoſo* Ent. Par." (Append. p. 142.)

Hab. vterque in locis ſiluaticis frequens. Long. 4, lat. 2 lin.

Cydni genus a Cimicibus diſtingui nequit; roſtellum *C. oleraceo* et affinibus idem ac *Cydno triſti*; tibiarum ſpinae familiae ſolius characterem forte praebent. Cydni ſpecies Braſiliana nobis eſt, *C. triſti* triplo maior, caeterum ſimilis, cui roſtelli vaginae articulus primus cylindricus, ſecundus vero infra lamina magna carinatus eſt.

Cydnorum nigrorum ſimilium in Europa auſtrali magna copia exſtat, vt ſynonyma vix ac ne vix quidem

quidem eruantur. Geoffr. Inſ. n. 70. ſecundum cel. Latreille *C. Morionem* ſpectat. I.

1316. *C. acuminatus*, oualis, antice attenuatus, exalbidus fuſco-ſtriatus apice rufus. F. Sp. 360. 135.

Linn. Syſt. Nat. 723. 59. Fn. Sv. 939.
De Geer Inſ. 3. 271. 16. t. 14. f. 12. 13.
Geoffr. Inſ. 1. 472. 77.
Fuesl. Inſ. Helv. 26. 498.
Schaeff. Icon. t. 42. f. 11.
♀ *Cim. acuminatus* Muſ. Hellw. Hoffm.
Aelia acuminata Fabr. Syſt. Rhyng. 189. 6.
Cim. teſſarophthalmus Schrank. E. I. 536.

Hab. in plantis non rarus. Long. 4¾, lat. 2 lin.

Aeliae genus cl. Fabricius roſtelli vagina triarticulata diſtinguit, at eandem re vera quatuor articulis, vt reliquis Cimicibus conſtare, inueſtigatio repetita me docuit, articulo tertio breui a quarto ſ. vltimo probe diſtinguendo. Clypei forma porrecta ſola itaque ad diſcernendum genus reſtat, quam non ſufficere, ill. Vir ipſe lubenter concedet. I.

(p. 238.)

**** *Oblongi.*

Obſ. A Lygaeo poſtea *Miris* et *Alydus* ſeparati ſunt. I.

1317. *C. ſaxatilis*, oblongus, niger, thoracis margine laterali, lineaque media rubris, elytris maculis tribus rubris, alis immaculatis. F. Mant. 298. 188.

Linn. Syſt. Nat. 727. 81.
Scop. Ent. Carn. 371.
Geoffr. Inſ. 1. 443. 16.
Schrank. E. I. 538.
Schaeff. Icon. t. 13. f. 11.

♀ *Ly-*

♀ *Lygaeus ſaxatilis* Fabr. Syſt. Rhyng. 218. 62. Latr. H. N. XII. 212. 2.

Deſcriptio Scopolina accuratiſſima.

Hab. in plantis. Long. 4, lat. 1½ lin.

Limbus hemelytrorum quidem niger, ſed cinereo-irroratus eſſe ſolet varietatibus obſcurioribus, lunula alba ſaepius obſoleta in membrana antice nigra ad angulum externum poſticum corii. Citatum e Geoffroyi opere non dubium eſt. I.

1318. *C. familiaris*, oblongus, rubro nigroque varius alis fuſcis puncto baſeos albo. F. Sp. 363. 145.

♀ *Lygaeus venuſtus* Böberi Muſ. Hellw. Hoffm.
L. familiaris Panz. Fn. Germ. 79. tab. 20.
L. familiaris Latr. H. N. XII. 213. 4.

Hic Cimex ſane me in maximum errandi diſcrimen adduxit conuenientia deceptum, et iure maiori ad nomen *Equeſtris;* pariterque monuit quam facile ſit fallere, et falli in Entomologia, praeſertim ſi quis nihil a Magiſtri voce, conſiliis, authoritate mutuari poſſit.

Vix minor *C. equeſtri* et eadem ſtatura. Antennae nigrae. Caput totum nigrum. Os, ſeu oris latera rubra. Thorax ruber maculis duabus magnis ouatis atris margini poſtico adnexis, disiunctis conuergentibus, et in medio poſitis, quae marginem anticum rubrum thoracis non attingunt, et ſpatium rubrum ſubcarinatum relinquunt. Scutellum atrum. Elytri corium rubrum ad ſcutelli marginem, limbo nigro, et faſcia, ſeu potius macula magna nigra ſubrotunda, marginem internum haud attingente. Eiusdem apex membranaceus aterrimus. Ad originem punctum, ſeu macula

parua

parua angularis alba, et prope apicem corii aliud punctum album minimum in membrana nigra ſitum corio contiguum. Alae obſcurae. Abdomen ſubtus rubrum colore atro nigroque vario viuidiori quam in *C. equeſtri*, margine vtrinque punctis quatuor quadratis. Sternum et thorax ſubtus etiam ruber macula atra laterali diſtincta ab aliis duabus inferius poſitis. Pedes nigri.
Hab. Piſis, olim frequens copioſus in horto academico, nunc rariſſimus "Mox ſaepe lectus ſemperque in Asclepiade Syriaca." (App. p. 142.)
Long 4¾, lat. ⅖ lin.

L. familiaris Fabricii ſane ſpecie differt ab hoc Lygaeo, Europae auſtrali communi. I.

(*p. 239.*)

1319. *C. equeſtris*, oblongus, rubro nigroque varius, alis atris albo-maculatis. F. Sp. 362. 142.

Linn. Syſt. Nat. 726. 77. Fn. Sv. 946.
De Geer Inſ. 3. 276. 19.
Geoffr. Inſ. 1. 442. 14.
C. ſpecioſus Pod. M. G. 59. 21. Scop. Ent. Carn. 369.
Schrank. E. I. 540.
Schaeff. Elem. t. 44. f. 2. Icon. t. 48. f. 8.
♀ *Lygaeus equeſtris* Fabr. Syſt. Rhyng. 217. 57.
Latr. H. N. XII. 211. 1.

Antennae nigrae. Caput nigrum macula elliptica rubra poſtice acuminata in medio poſita. Scop. obſ.: *Os nigrum. Caput magis quam in C. familiari porrectum.* Thorax ruber margine antico et poſtico nigris. Scutellum nigrum. Elytri corium rubrum faſcia, et puncto ſubrotundo ad marginem interiorem atris: eiusdem apex membranaceus

ad

ad originem, puncta duo alba lineolas referentia, et in medio guttam ſphaericam albam gerens: Obſ.: *in hoc faſcia (non macula vti in C. familiari) quae marginem internum attingit: puncto ſubrotundo atro (quod in altero) omnino deeſt: lineolas referentia, (macula parua angularis): guttam, (punctum minimum).* Alae albae hyalinae. Abdomen carinatum rubrum margine punctis vtrinque quinque, et ſubtus tribus paribus macularum nigrarum in medio variegatum ani regione nigra. Obſ.: *thorax in hoc inferne ſemper totus niger, quandoque polline cinereo aſperſus.*
Hab. in Aſclepiade Vincetoxico frequentiſſimus. Long. 5, lat. $1\frac{2}{3}$ lin.

(p. 240.)

1320. *C. militaris*, oblongus, rufus, nigro-maculatus, alis exalbidis ſtriga baſeos atra. F. Sp. 362. 141.

♀ *Lygaeus militaris* Fabr. Syſt. Rhyng. 217, 56. Latr. H. N. XII. 213. 5.
Cim. pandurus Villers Ent. 1. 526. 165. t. 3. f. 23.
Cim. pandurus Scop. Ent. Carn. 368.

Caput rubrum. Thorax ruber lineis duabus dorſalibus flexuoſis nigris. Scutellum nigrum. Elytra rubra macula transuerſa et puncto paruo vtrinque ad apicem ſcutelli nigris. Alae exalbidae faſcia baſeos nigra, quae terminatur lineola niuea. Pectus nigrum maculis vtrinque tribus ſanguineis. Abdomen rubrum vtrinque nigro-punctatum. Fabr. deſcriptio optima. Antennae pedesque nigri. Diſtinguunt a *C. equeſtri*, inprimis magnitudo, thorax diuerſimode nigro-maculatus, et punctum longitudinale, ſeu macula nigra apice atte-

attenuata, quae in ſundo rubro capitis decurrit ad roſtrum.

Pupa dorſo rubro punctis duobus nigris.

Hab. in Aſclepiade fruticoſa, Senec. Doria, Calendula offic. aliisque plantis frequens. Long. 6¼, lat. 2 lin. et vltra.

Peculiaris ſane ſpecies eſt, nec varietas *Equeſtris*; in iisdem terris occurrunt. I.

2521. *C. Hoſcyami*, oblongus, rubro nigroque varius, alis fuſcis immaculatis. F. Sp. 362. 144.

Linn. Syſt. Nat. 726. 76. Fn. Sv. 945.

Geoffr. Inſ. 1. 441. 12.

De Geer Inſ. 3. 274. 18. t. 14. f. 14. 15.

Sulz. Inſ. t. 11. f. 75.

Merian. Europ. t. 51. fig. 1.

Fuesly Inſ. Helv. 26. 502.

Schrank. E. I. 539.

♀ *Lygaeus Hyoſcyami* Fabr. Syſt. Rhyng. 218. 63.

Latr. H. N. XII. 212. 3.

Hab. in Hyoſcyamo frequens: ſaepe inuentus etiam in Nicotiana Tabaco. Long. 4⅓, lat. 1⅓ lin.

(p. 241.)

1322. *C. apterus*, oblongus, rubro nigroque varius, elytrisque rubris, punctis duobus nigris, alis nullis. F. Sp. 366. 169.

Linn. Syſt. Nat. 727. 78.

De Geer Inſ. 3. 276. 20.

Geoffr. Inſ. 1. 440. 11. t. 9. f. 4.

Pod. M. G. 58. 18.

Scop. Ent. Carn. 370.

Schrank. E. I. 541.

Fuesly Inſ. Helv. 56. 504.

Schaeff. Ic. t. 119. f. 3.

♀ *Lygaeus Apterus* Fabr. Syſt. Rhyng. 227. 116.

Latr.

Latr. H. N. XII. 215. 10.
Hausmann Illig. Mag. I. p. 229. et 491.

Apud nos inueniuntur plures qui alati ſunt. Saepe vidi alatos copula iunctos cum apteris. Alae magis obuiae in feminis.

Hab. in Malua frequens, gregarius. Long. 4½, lat. 2 lin.

* 1323. *C. Italicus,* oblongus, rubro nigroque varius, elytris rubris, puncto medio nigro.
♀ *Lygaeus aegyptius* Fabr. ſyſt. Rhyng. 222. 87.

An proximus *C. clauimano?*

Magnitudine, habitu aliisque notis *C. Apteri varietati alatae* ſimillimus: differt tamen multis. Caput anguſtius, oculique minores, in viuo rufeſcentes. Penultimus antennarum articulus breuis, et minor quam in *C. Aptero*. Thorax vndique cinctus margine rubro, et omnino ſimilis thoraci *Apteri*. Scutellum elytraque pariter ſimilia, ſed elytra in hoc longiora et diuerſimode maculata; in elytro enim *C. Apteri* punctum minutum anticum nigrum, et macula nigra maiuscula poſtica praeſens: in elytro huius punctum tantum nigrum in medio poſitum. Color abdominis etiam diuerſus; in *C. Aptero* niger, ano rubro faſciato: in hoc, inferne et ſub elytris ruber, ano rubro et margine laterali nigro - maculato. Pectus pedesque in vtroque ſimiles, ſed in hoc femora antica craſſiora margine interno ad apicem vtrinque denticulis pluribus paruis inſtructo; medii vero paris, vnidentato. Tab. VII. f. 1.

Inuenti tres ſub cortice Quercus d. 28. Mart. Long. 4½, lat. 2 lin.

In Luſitania quoque occurrit; Linnaeus eum ex Aegypto habuit. I.

(p. 242.)

1324. *C. punctato-guttatus*, oblongus, niger, elytris rufis, puncto medio atro, alis atris, punctis duobus albis. F. Sp. 365. 161.

♀ *Lygaeus punctato-guttatus* Fabr. Syſt. Rhyng. 224. 65.

Latr. H. N. XII. 214. 8.

Caput nigrum immaculatum. Thorax niger, antice rufus. Scutellum nigrum immaculatum. Elytra laete rufa puncto medio marginis craſſioris atro. Alae nigrae, puncto medio, apicisque albo. Subtus niger abdominis medio rufo, margine minutiſſime nigro-punctato. Pedes antennaeque nigrae, quadrarticulatae.

Hab. in plantis non frequens, at tempore hiberno ſub arborum cortice praeſertim Salicis obuius. Long. 2, lat. 1 lin. vix.

* 1325. *C. Abutilon*, oblongus, pallide teſtaceus, nigro-punctulatus, tuberculo pone oculos.

Totus teſtaceus capite interdum nigro-punctulato, tuberculo pone oculos. Mas pallidior; femina abdomine atque apice elytrorum ſanguineo.

Hab. frequens et gregarius in Abutilon vulgo Althea Theophraſti menſ. Iul. et Aug. Inuentus etiam ſolitarius in Artemiſia Abſynthio. Long. 3¼, lat. 1 lin.

(p. 243.)

* 1326. *C. inuidus*, oblongus, pallide-luteus, capite flauo, oculis nigris, elytrorum corio ad apicem fuſco-punctato.

Paruus;

Paruus; totus pallide-flauus, nitidus. Oculi tantum nigri, et apex elytrorum coriaceus fuſco-punctatus. Caput magis flaueſcens. Femora punctis duobus vel tribus fuſcis aſperſa.

Hab. in ſiluis non rarus. Long. 1½, lat. 1 lin.

Lygaeo Reſedae Panzeri Fn. Inſ. Germ. 40. tab. 20. affinis videtur. I.

1327. *C. calcaratus*, oblongus fuſcus, abdomine ſupra ſanguineo, femoribus poſticis ſexdentatis. F. Sp. 367. 172.

Linn. Syſt. Nat. 732. 114.
De Geer Inſ. 3. 280. 24. t. 14, f. 23. 24.
Schaeff. Icon. t. 123. f. 2. 3.
Goeze E. B. 2. 224. 114.
♀ *Coreus calcaratus* Latr. H. N. XII. 208. 15.
Alydus calcaratus Fabr. Syſt. Rhyng. 251. 15.

Hab. in plantis, in Caprifolio et Galega frequens. Long. 5½, lat. 1 lin.

Alydi a Coreis ſola ſtatura anguſtiore femoribusque poſticis ſpinoſis differunt. I.

1328. *C. Pini*, oblongus ater, elytris fuſcis macula rhombea atra. F. Sp. 367. 173.

Linn. Syſt. Nat. 729. 96. Fn. Sv. 956.
Geoffr. Inſ. 1. 449. 28.
De Geer Inſ. 3. 279. 22. t. 14. f. 22.
Schaeff. Icon. t. 42. f. 12.
♀ *Lygaeus Pini* Fabr. Syſt. Rhyng. 229. 125.
Latr. H. N. XII. 216. 13.
Var. 1. Lygaeus lynceus Fabr. l. c. 231. 137.
Latr. l. c. 217. 18.
Var. 2. Cimex phoeniceus Roſſi Mant. 508.

Hab. in pinetis. Long. 3, lat. 1 lin.

(*p.* 244.)

1329. *C. Vrticae*, oblongus niger, elytris griſeis, alis albis puncto nigro. F. Sp. 368. 180.

♀ *Lygaeus Vrticae* Fabr. Syſt. Rhyng. 231. 136.
Latr. H. N. XII. 217. 17.

Deſcriptio Fabriciana repetita. Villoſulus, foetidiſſimus. Prae caeteris notis macula alba abdominis optime diſtinguit.

Hab. in variis plantis frequens etiam tempore hiberno. Long. 3, lat. ¾ lin.

In Luſitania et Germania quoque occurrit. I.

* 1330. *C. carbonarius*, oblongus, ater femoribus anticis craſſioribus dentatis, tibiis quatuor poſticis ſpinoſis.

♀ *Lygaeus aterrimus* Fabr. Syſt. Rhyng. 229. 124.
Latr. H. N. XII. 215. 11.
Geoffr. Inſ. 1. 460. 53.
Cim. atramentarius Villers Ent. 1. 525. 162.

Statura et magnitudo omnino *C. Apteri.* Totus ater, fuliginoſus, glaber, immaculatus. Antennae quadriarticulatae filiformes, nigrae. Caput antice attenuatum vti in *C. Aptero.* Roſtrum longitudine thoracis. Pars etiam elytrorum membranacea nigra obſcura. Pedes nigri. Femora antica craſſiora latere interno denticulis quatuor ſeu quinque paruis ſerrata, penultimo ad apicem acuto longiore. Tibiae quatuor poſticae ſpinuloſae. Alae albae. Tab. VII. f. 7.

Hab. in ſiluis rarus. Long. 4, lat. 2 lin.

Luſitania et Gallia itidem hanc ſpeciem alit. I.

(*p.* 245.)

* 1331. *C. Saturnius*, oblongus, elytris griſeis, capite, thorace, ſcutello, maculisque duabus elytrorum nigris.

♀ *Lygaeus Saturnius* Muſ. Hellw. Hoffm.
Affinis *C. Pini*, et forte mera varietas. Antennae pallide ferrugineae, baſi et apice nigrae. Caput nigrum roſtro nigro, thorace multo longiori. Thorax nitidus, antice niger, poſtice griſeus margine griſeo. Scutellum nigrum. Elytra griſea vtrinque macula nigra quadrangulari ad angulum internum, et altera maiori in ſingulo elytro ad apicem membranaceum, quae iunctis elytris vnica apparet, et ſcutelliformis, ita vt accedere videatur quodammodo ad *C. Horologium* Schaeff. Geoffr. Inſ. 1. 442. 13. vel *C. Leucopterum* Goeze; etſi diuerſus, quoniam nec rubro variegatus, nec centro crucis albus. Subtus totus niger. Pedes pallide ferruginei femoribus nigris. Tab. VII. f. 8. Hab. in ſiluis. Long. 4½, lat. 1 lin.

Peculiaris et ſatis inſignis ſpecies eſt, Luſitaniae quoque indigena, *L. quadrato* Fabr. affinis, at eo anguſtior et longior. Membrana hemelytri nigra margine omni hyalino-albo, ita vt macula nigra rhombea fere ſeu ouata in ea conſpiciatur. Colli inferioris pectorisque partium margo poſticus griſeus, ad coxarum inſertionem fere albidus eſt. Femora antica craſſiora. I.

* 1332. *C. megacephalus*, ouato-oblongus, niger, capite oculisque magnis, thorace punctato, elytris pallidis.
Facies *Elaphri*, ſeu *Cicindelae aquaticae*, cui etiam magnitudine fere par eſt. Antennae nigrae filiformes, longitudine thoracis articulo vltimo cinereo. Caput nigro-aeneum latitudine thoracis. Oculi magni oblongi, prominuli. Thorax nigro-aeneus, latiusculus punctis eleuatis aſperſus, vti

etiam ſcutellum. Elytra pedesque pallida. Alae albae. Abdomen nigrum. Alia ſpecimina habeo magnitudine et habitu huic ſimillima, quae ad *C. Leucocephalum Linnaei* referrem, niſi *Geoffroyana* deſcriptio accuratior obſtaret: mea enim etſi congruant in multis cum *Leucocephalo*, hoc eſt magnitudine, figura, capite pedibusque anticis fuluis, cum tamen pedes ſaltatorios non habeant, neque antennas longas ſetaceas, ſed breues, filiformes, articulis baſi nigris, apice albidis, vltimo toto cinereo; manifeſte patet hanc eſſe ſpeciem diſtinctam a *C. Leucocephalo*. Fortaſſe ſexus alter prioris? Longit. 1½, lat. ⅔ lin.

Lecti in ſiluis ſub arborum cortice. Long. 1½, lat. ½ lin.

Ill. Fabricius hanc ſpeciem *Saldis* ſuis annumeraret. I.

(p. 246)

1333. *C. Nugax*, oblongus, fuſcus, abdominis margine maculato, tibiis anticis, femoribus poſticis baſi pallidis. F. Sp. 366. 171.

♀ *Coreus nugax* Fabr. Syſt. Rhyng. 200. 42.
Latr. H. N. XII. 207. 14.
Geoffr. Inſ. 1. 449. 26.
Cim. monilis Vill. Ent. 523. 147.
Cim. nugax id. 521. 132.
Cim. agilis Scop. Ent. Carn. 366.
Cim. agilis Schrank. E. I. 554.

Deſcriptio Fabriciana repetita.

Hab. in ſiluis non frequens. Long. 4½, lat. 1¼ l.

1334. *C. tunicatus*, oblongus ſupra ferrugineo-fuſcus, corpore elytrorumque margine flauis. F. Sp. 369. 186.

♀ *Ly-*

♀ *Lygaeus tunicatus* Fabr. Syſt. Rhyng. 233. 148. Fabricii deſcriptio repetita. In noſtris margo etiam thoracis flaueſcens.

Hab. ruri non frequens. Long. 4½, lat. 1½ lin.

Miridis ſpecies videtur, mihi ignota. I.

1335. *C. pratenſis*, oblongus, flaueſcens, elytris viridibus. F. Sp. 370. 190.

Linn. Syſt. Nat. 728. 86. Fn. Sv. 949.
Geoffr. Inſ. 1. 451. 33.
Scop. Ent. Carn. 386.
Goeze E. B. 2. 215. 86.
♀ *Miris pratenſis* Muſ. Hellw. Hoffm.
Lygaeus Vmbellatarum Panz. Fn. Germ. 93. tab. 19.

Hab. paſſim. Long. 2½, lat. 2¼ lin.

Fabricii Lygaeus pratenſis neutiquam eadem ſpecies eſt cum Linnaeano Cimice, quem, eundem cum Geoffroyano, Roſſianum habeo, vnde Panzeri citatum appoſui, Schaeff. Icon. t. 199. f. 1. 2. vero omiſi. Scopolii Cimex dubius et forſan e ſimilibus Miridibus vna eſt. Abdominis color *M. pratenſis* noſtri variat nunc niger lateribus rufeſcentibus, nunc rufeſcens. I.

(p. 247.)

1336. *C. campeſtris*, oblongus, flaueſcens, elytris macula ferruginea. F. Sp. 370. 189.

Linn. S. N. 728. 87. Fn. Sv. 950.
Geoffr. Inſ. 1. 452. 34.
Goeze E. B. 2. 216. 87.
♀ *Miris campeſtris* Latr. H. N. XII. 221. 1.
Lygaeus campeſtris Fabr. Syſt. Rhyng. 234. 154.

Variat colore fuſco-luteo, ſcutello macula cordata, elytris faſcia duplici fuſca.

Hab. ruri frequens. Long. 1½, lat. ⅔ lin.

Schaeff. Icon. tab. 13. fig. 9. aliam Miridis ſpeciem, *Cimicem cruentatum* Villers, forte *Lygaeum ferruga-*

rugatum Fabricii ſpectat; eum ideo ex citatis eieci. I.

* 1337. *C. punctum album*, oblongus, niger, elytris antice teſtaceis, poſtice fuſcis, puncto niueo marginali.
Statura fere *A. clauicornis*. Antennae nigrae ſetaceae, articulo ſecundo ad apicem niueo. Roſtrum thorace longius. Caput, thorax, ſcutellum nigra, immaculata. Thorax antice attenuatus. Elytra fuſca baſi, margineque externo teſtaceo, et ad apicem membranaceum excolora, puncto niueo marginali pone medium. Abdomen fuſcum. Pedes teſtacei.
Hab. in ſiluis rarus. Long. 1⅔, lat. ¾ lin.

1338. *C. trifaſciatus*, oblongus niger, antennis apice capillaribus, elytris faſciis tribus rufis. F. Sp. 372. 202.
Linn. Syſt. Nat. 725. 67.
Schaeff. Icon. t. 13. f. 8.
♀ *Capſus trifaſciatus* Fabr. Syſt. Rhyng. 244. 16.
Latr. H. N. XII. 231. 13.
Capſus elatus Fabr. ib. 241. 1.
Latr. H. N. XII. 229. 1.
Geoffr. Inſ. 445. 19.
Var.: niger pedibus rufis.
C. rufipes Fabr. l. c. 242. 3.
Latreille l. c. 229. 3.
Hab. ruri. Long. 3⅔, lat. 2 lin.

(p. 248.)

1339. *C. flauicollis*, oblongus, niger, capite, thorace, pedibusque rufis, antennis apice capillaribus. F. Sp. 371. 201.
♀ *Capſi atri* varietas cf ſequentem.

Capſus

Capſus flauicollis Fabr. Syſt. Rhyng. 243. 13.
Latr. H. N. XII. 231. 12.

Statura *C. atri.* Antennae nigrae ſeta rufa. Caput rufum ore, oculisque nigris. Roſtri baſis, thorax, pedesque rufa. Elytra, ſcutellum, pectus, et abdomen nigra.
Hab. apud nos rarior. Long. $2\frac{3}{4}$, lat. 1 lin.

1340. *C. ater*, oblongus, ater, antennis apice capillaribus. F. Sp. 371. 197.
Linn. Syſt. Nat. 725. 72. Fn. Sv. 944.
Geoffr. Inſ. 1. 460. 54.
Schaeff. Icon. t. 170. f. 4. 5.
♀ *Capſus ater* Fabr. Syſt. Rhyng. 241. 2.
Latr. H. N. XII. 229. 2.
Var. 1. niger roſtro pedibusque rufis.
Capſ. Tyrannus cf. N. 1341.
Var. 2. niger, capite et thorace ferrugineo fuſcis, pedibus vel obſcuris vel rufis.
Var. 3. niger capite, thorace pedibusque rufis.
Capſ. flauicollis cf. N. 1339.
Hab. in ſiluis. Long. $2\frac{1}{2}$, lat. 1 lin.
Geoffroy varietatem primam, ſeu ſequentem *Tyrannum*, deſcripſit. I.

1341. *C. Tyrannus*, oblongus, ater, roſtro femoribusque ſanguineis, antennis apice capillaribus. F. Sp. 371. 198.
♀ *Capſi atri* varietas cf. praecedentem.
Capſus Tyrannus Fabr. Syſt. Rhyng. 242. 4.
Latr. H. N. XII. 230. 4.
Diſtinctus a *C. atro* magnitudine maiori, antennis primo, et ſecundo articulo rufis, pedibus non pallidis ſed femoribus, tibiis, roſtroque ſanguineis, vel ſaturate fuluis. Plantae nigrae.
Hab. in ſiluis non frequens. Long. 3, lat. $1\frac{1}{4}$ lin.

(p. 249.)

1342. *C. Gothicus*, oblongus, niger, ſcutello elytrorumque apicibus coccineis, antennis apice capillaribus. F. Sp. 372. 206.

Linn. Syſt. Nat. 726. 73. Fn. Sv. 966.
Fueſl. Inſ. Helv. 26. 501.
Schaeff. Icon. t. 13. f. 5.
♀ *Miris Gothicus* Muſ. Hellw. Hoffm.
Capſus Gothicus Fabr. Syſt. Rhyng. 244. 20.
Latr. H. N. XII. 232. 17.
Var.: ſcutello hemelytrique corii appendiculo concoloribus.
Capſus albomarginatus Fabr. ſyſt. Rhyng. 245. 24.
Latr. H. N. XII. 232. 20.
Cim. ſuperciliosſus Linn. Syſt. Nat. 2. 728. 85.

Hic Cimex iuxta Scopolium et Schrankium admodum variat. *C. tricolor* F. Mant. 272. qui apud nos frequens occurrit, forte conuenit cum varietate *C. Gothici* a Schrankio deſcripta.

Hab. etiam in hortis. Long. 3½, lat. 2 lin.

Scopoli Carn. 381. et Schrank. En. Auſtr. 545, quos Auctor allegat, varietates *Capſi capillaris* deſcripſiſſe videntur; Geoffroyi Punaiſe n. 19. itidem citata, *Capſum trifaſciatum* ſpectat. Schaeff. Ic. t. 13. f. 2. t. 57. f. 4. omittendas cenſebam. I.

* 1343. *C. Vandalicus*, oblongus, teſtaceus, thorace poſtice nigro, elytris apice pallidis.

♀ *Miridis bipunctati varietas ?*
Lygaeus Fraxini Fabr. Syſt. Rhyng. 236. 162 ?

Statura fere *C. Pabulini*. Antennae ferrugineo-fuſcae articulis quatuor, vltimis duobus baſi albidis. Caput inter oculos rufum. Thorax antice teſtaceus, poſtice niger. Scutellum et elytra teſta-

ſtacea, ante apicem ſubruſa apice pallido. Alae nigrae. Abdomen nigrum carinatum. Pedes ruſi. Femora poſtica obſcuriora, craſſiora, elongata. Variat interdum colore elytrorum ſaturate teſtaceo. Tab. VII. fig. 12.

Hab. in locis ſiluaticis rarus. Long. 3¼, lat. 1⅓ l.

In *Miridis bipunctati* varietate ſeu *Lygaeo Fraxini* Fabr. thoracis margo poſticus pallidus, abdomen ruſeſcens eſt. I.

* 1344. C. *Meriopterus*, oblongus, niger, pedibus flauis, antennis incraſſatis compreſſis apice capillaribus. Scop. Ent. Carn. 382.

An C. *ſpiſſicornis*. F. Sp. 372. 207.? ſane C. *ſpiſſicornis* Panz. Fn. Inſ. Germ. 2. tab. 15.

♀ *Capſus ſpiſſicornis* Fabr. Syſt. Rhyng. 246. 28. Latr. H. N. XII. 433. 23.

Noſtra ſpecimina omnino conueniunt cum deſcriptione *C. Meriopteri* Scop. l. c. quae accuratiſſima eſt. Antennarum forma ſingularis.

Inueni ſaepius in Abſinthio media aeſtate et in Populo alba. Long. 2, lat. ⅓ lin.

(p. 250.)

* 1345. C. *ſphegiformis*, oblongus, thorace bicorni, elytris nigris, faſcia lineari duplici argentea.

♀ *Capſus ſphegiformis* Muſ. Hellw. Hoffm.

Magnitudo fere praecedentis. Primo intuitu videtur *Sphex*, aut *Ichneumon*, ſed antennarum forma, roſtrum, articuli tarſorum tres, et elytra huius generis eſſe declarant. Antennae quadriarticulatae filiformes, articulo ſecundo longiſſimo nigro, reliquis pallidis. Caput rotundatum, nigrum,

grum, nitens. Oculi magni. Thorax niger, antice excauatus, vtrinque corniculo obtuſo erecto, lineolaque argentea transuerſa inſtructus, poſtice eleuatus. Scutellum paruum, nigrum triangulare. Elytra nigra lineis duabus transuerſis argenteis, vna ad baſin, altera ad apicem corii. Abdomen nigrum apice obtuſo. Pedes poſtici elongati, nigri, baſi femorum albida; antici ruſi. Alae hyalinae violaceo colore nitentes, venulis fuſcis.
Lectus in pratis ſilueſtribus Piſis d. 29. Maii. "Mox lectus ſaepius in Populo alba et tremula" (App. p. 142.) Long. 2½, lat. ½ lin.

Noſtrum ſpecimen in Hercynia captum eſt. Coxae et femorum baſes albicant; femora poſtica rufeſcentia ſunt. Cum *Capſo clauato* noſtro, *Cimice clauato* Linnaei, ſeu *Capſo biſaſciato* Fabricii, aliquam ſimilitudinem prodit. I.

* 1346. *C. Mat*, oblongus, ater, capite, thorace, ſcutello apiceque elytrorum coccineis.

♀ *Miris Mat* Muſ. Hellw. Hoffm.

Antennae nigrae. Roſtrum nigrum. Caput paruum nigrum linea ante oculos coccinea. Thorax niger linea dorſali, margineque laterali coccineis. Scutellum coccineum. Elytra glabra nigra, macula ad apicem coccinea. Pectus et abdomen nigra margine late coccineo. Pedes nigri femoribus poſticis albo-maculatis. Tab. VII. f. 6.
Hab. in ſiluis iuxta ſepes frequens. Long. 3⅔, lat. 1 lin.

Femur poſticum, tibiaque eiusdem pedis annulo albido ſub medium cincta. Statura ſimillimus eſt *Miridi* ſ. *Lygaeo nemorali* Fabricii. I.

***** *An-*

***** *Antennis ſetaceis.*

1347. *C. laeuigatus*, oblongus exalbidus, lateribus albidis. F. Sp. 372. 208.
Linn. Syſt. Nat. 730. 101. Fn. Sv. 958.
Geoffr. Inſ. 1. 457. 46.
De Geer Inſ. 3. 292. 30.
Scop. Ent. Carn. 393. Schrank. E. I. 556.
Fuesl. Inſ. Helv. 26. 512.
♀ *Miris laeuigatus* Fabr. Syſt. Rhyng. 253. 2.
Latr. H. N. XII. 227. 29.
Hab. in pratis frequens. Long. 3½, lat. ⅔ lin.
Miris laeuigatus Wolff. Cimic. I. tab. 4. fig. 36, quem Fabricius et Latreille allegant, *Miridem* ſ. *Lygaeum bipunctatum* Fabr. Syſt. Rhyng. 235. 158. pertinet. I.

(p. 251.)

1348. *C. pabulinus*, oblongus, viridis immaculatus, alis hyalinis. F. Sp. 373. 210.
Linn. Syſt. Nat. 727. 83. Fn. Sv. 947.
Scop. Ent. Carn. 384. Schrank. E. I. 546.
♀ *Miris bipunctatus* Muſ. Hellw. Hoffm.?
Lygaeus bipunctatus Fabr. Syſt. Rhyng. 235. 158?
Variat magnitudine, et thorace punctis binis atris.
Hab. in pratis et hortis frequens. Long. 3, lat. 1¼ lin.
Miridum viridium magna copia exſtat; *Miris pabulinus* Fabricii ob ſtaturam elongatam anguſtam nec Linnaei nec Roſſii Cimex eſſe poteſt. Geoffroyi Cimex dubius eſt; Scopoli *Mir. ferrugatum* noſtr. *Lygaeum ferrugatum* Fabricii deſcripſiſſe videtur. I.

1349. *C. virens*, oblongus, viridis, plantis antennarumque apicibus rufis. F. Sp. 373. 211.
Linn. Syſt. Nat. 730. 102.

Schrank.

Schrank. E. I. 555.
Schaeff. Icon. t. 43. f. 7. 8.
♀ *Miris virens* Fabr. Syſt. Rhyng. 254. 7.
Latr. H. N. XII. 228. 34.

C. laeuigato ſimillimus. "Oculi corpori concolores. Antennae apice ruſeſcentes. Pedes longiusculi praeſertim poſtici. Lineae duae longitudinales interdum percurrunt abdomen. Specimen habeo longum lin. 5½." (App. p. 143.)
Hab. in pratis aeſtate. Long. 4¼, lat. ¾ lin.

Cimex 47 Geoffroyi, quem Auctor allegat, verus *Miris pabulinus* Fabricii eſt. Noſter *M. virens* quatuor lineis breuior eſt. I.

* 1350. *C. ſiluarum*, oblongus, pedibus teſtaceis, elytris baſi pallidis, medio fuſcis puncto marginali albo.
Affinis *C. Nemorum.* Linn. S. N. 729. 91.
♀ *Miris ſiluarum* n.

Facie conuenit cum *C. Abietis*, at multo minor. Caput nigrum. Thorax antice niger, poſtice fuſcus, vſtulatus. Elytra baſi albida, mox vſtulata, vsque ad corii apicem, in medio fuſcedinis punctum album margini externo connatum. Pedes antennaeque baſi et apice teſtaceae.
Hab. in ſiluis rarus. Long. 1¼, lat. ⅓ lin.

Lygaeo nemorali et pratenſi Fabricii ſimilis videtur, quibus hemelytri membrana hyalina fuſco-faſciata eſt, quam tacet cl. Roſſi. I.

(*p. 252.*)

****** *Lineares corpore anguſto.*

Obſ. Cimices huius familiae *Hydrometrae* et *Gerres* ſunt ill. Fabricio, at acutiſſimus Latreille eos in plura diſpeſcuit genera bene diſtincta, quorum nomina Latreillana conſeruauimus. I.

1351. *C. lacuſtris*, linearis, niger, pedibus anticis breuiſſimis. F. Sp. 375. 227.

Linn. Syſt. Nat. 732. 117. Fn. Sv. 970.
C. Najas De Geer Inſ. 3. 311. 39. t. 16. f. 7.
Geoffr. Inſ. 1. 463. 59.
Pod. M. G. 27. Scop. Ent. Carn. 394. Schrank. E. I. 557. Sulz. Inſ. t. 11. f. 78.
♀ *Gerris lacuſtris* Latr. H. N. XII. 273. 1.
Hydrometra lacuſtris Fabr. Syſt. Rhyng. 256. 1.

Variant admodum magnitudine, vnde orta ſuſpicio in De Geer ſpecie quoque eſſe diſtinctos.
Hab. in aquis ſtagnantibus frequens. Long. 4½, lat. ¾ lin.

Hydrometra Paludum Fabricii ſaepius cum hac ſpecie confunditur. I.

1352. *C. Riuulorum*, linearis, niger, albo-punctatus, abdomine fuluo. F. Sp. 376. 229.

♀ *Velia Riuulorum* Latr. H. N. XII. 270. 1.
Hydrometra Riuulorum Fabr. Syſt. Rhyng. 259. 8.

Deſcriptio Fabriciana optima, cui addi poſſet quod variat femoribus poſticis valde craſſioribus et minime dentatis. Color thoracis plerumque niger, et interdum antice totus rufeſcens.
Hab. frequens in riuulis et in puteis hortorum neglectis; iam declaratus menſ. Mart. Viuit et curſitat etiam in ſicco. Long. 4, lat. 1½ lin.

(p. 253.)

1353. *C. ſtagnorum*, linearis, teretiusculus, niger, thorace medio punctis duobus globoſis. F. Sp. 376. 228.

Linn. Syſt. Nat. 732. 118. Fn. Sv. 971.
Geoffr. Inſ. 1. 463. 60.
Cim. Acus De Geer Inſ. 3. 322. 40. t. 15. f. 24.
Petiv. Gaz. 15. t. 9. f. 12.

Scop.

Scop. Ent. Carn. 395. Schrank. E. I. 559.

♀ *Hydrometra Stagnorum* Fabr. S. Rhyng. 258. 6. Latr. H. N. XII. 268.

Hab. in aquis pacatis. Long. 5½, lat. ½ lin. vix.

* 1354. *C. foſſularum*, linearis, teretiusculus, griſeus, thorace elytrorumque rudimentis albo-marginatis. An ſpecies aptera?

♀ *Velia foſſularum* Latr. H. N. XII. 270. 2.

Hydrometra foſſularum Fabr. Syſt. Rhyng. 259. 9.

Facies laruae, ſeu potius pupae, at ſemper inuentus idem, hoc eſt elytrorum rudimentis tantum inſtructus, quo ſtatu copula iunctum ſaepe vidi et aſſeruo. Antennae quadrarticulatae, articulo primo toto nigro, ſecundo et tertio baſi et apice nigro, medio albo, vltimo rufo, paullo craſſiori. Caput obſcure griſeum, elongatum, oculis nigris prominulis, roſtro fuſco ad ſecundum par pedum protracto. Stemmata duo in fronte ſubconnexa. Thorax ac elytrorum rudimenta griſea albo vtrinque marginata, punctata. Scutellum paruum concolor. Abdomen ſupra griſeum, ſubtus cineraſcens lateribus valde eleuatis in maſculo, minus in femina, et magis in hac globoſum in medio, dorſo etiam plerumque nigro. Femora omnia nigra, poſtica longiuscula. Tibiae albidae apice nigrae, piloſae. Tarſi fuſci.

Etſi ſtatura et magnitudine fere conueniat cum *C. Lacuſtri*, qui iuxta Linnaeum et Geoffroy (diſſentiente De Geer) coire ſolet cum femina etiam in ſtatu imperfecto; differt tamen ab eius pupa multis notis, ſcilicet antennis piloſis, longioribus, bis albo-faſciatis, articulo vltimo ferrugineo, maiori; roſtro minime ad os arcuato, et vltra ſecun-

cundum par pedum protracto; rudimentis elytrorum extus albo-marginatis, breuioribus anticisque minime remotis. Praeterea femora nigra ſunt et craſſiora, tibiae albae; tarſi duo. Abdomen ſupra excauatum marginibus eleuatis acutis, ſubtus conuexum, nec albicans. Oculi minores. Conferendum quid habeat de *C. Lacuſtri* De Geer Inſ. t. 3. pag. 311. ſq.

Hab ad foſſas herboſas aquarum frequens. Long. 5½, lat. ½ lin.

In Luſitania quoque capta eſt haec ſpecies. I.

(p. 254.)

1355. *C. Vagabundus*, linearis, griſeus, pedibus pallidus, anticis breuiſſimis. F. Sp. 377. 236.
Linn. Syſt Nat. 732. 119.
C. culiciformis De Geer Inſ. 3. 323. 41. t. 17. f. 1. 2.
Schrank. E. I. 558.
♀ *Ploiaria Vagabunda* Muſ. Hellw. Hoffm.
Gerris Vagabundus Fabr. Syſt Rhyng. 262. 9.

Pedes antici breues craſſi inflexi, poſtici longiſſimi variegati.

Hab. in arboribus. Long. 3, lat. ⅓ lin.

Geoffroyi *Cimex culiciformis* n. 58, quem huc referunt, alia ſpecies eſt, multo minor, *Ploiaria erratica* Muſ. Hellw. Hoffm. Latreillii *Ploiaria Vagabunda* H. N. XII. 262. eadem eſt. Antennis incedunt. I.

* 1356. *Ploiaria domeſtica*. Os roſtro inflexo arcuato. Antennae triarticulatae. Ala et elytra nulla. Abdomen carinatum appendiculatum. Pedes antici porrecti tibiis latis dentatis. Corpus lineare glabrum. Scop. Delic. et Fn. Inſ. faſc. 1. p. 60.

p. 60. t. 24. Conf. adnotatt. D. Com. Alphonſi Caſtil. faſc. 2. p. 69. ſq. t. 23.

Hab. in muris domeſticis non frequens.

Haec ſpecies mihi non conſtat, auctoritatem cel. Latreillii ſecutus, genus illi ſuperſtructum Ploiariae praecedenti *Vagabundo* applicaui. I.

(p. 255.)

CLXX. REDVVIVS.

Os roſtro arcuato. *Antennae* ſupra oculos inſertae.

Obſ. A Reduuiis *Zelum* diſtinxit Fabricius, *Nabim* Latreille, quibus nouum inſuper addo genus *Microtomus* antennarum articulo ſecundo longiſſimo ex innumeris paruis articulis conflato dignoſcendum. *Reduuius Nycthemerus* meus Wiedemann Zool. Archiv I. 2. 147. 39. ſeu *Cimex Purcis* Drury Illuſtr. III. tab. 45. fig. 4. Brown Illuſtr. tab. 50. fig. 2. e Georgia Americes oriundus, ſolus mihi notus *Microtomus* eſt *Nabes* ſunt *R. guttula* Fabr., *R. apterus* Fabr., *Miris vagans* Fabr. et plures ſpecies Europae auſtralis nondum deſcriptae. Zelum nota eſſentiali vlla diſtinguere neſcio. I.

1357. *R. perſonatus*, antennis apice capillaribus, corpore ſubuilloſo fuſco. F. Sp. 377. 2.

Linn. Syſt. Nat. 724. 64. Fn. Sv. 942.

Ad *S. Ericetorum* accedere videtur. Statura *S. Penduli*, ſed maior. Caput nigrum labio, antennisque flauis. Thorax aeneus, nitens, antice vtrinque flauo-punctatus. Halteres albi. Abdomen aeneum, nitidum, baſi, faſciisque tribus atris, aurea pube lucida ciliatis. Subtus nigrum. Pedes flaui femoribus baſi nigris. Alae flauae apice violaceo. Tab. 10. f. 6. Schaeff. f. 3. Icon. t. 202. quodammodo ſimilis.

Saepe captus in floribus Crataegi Monogynae. Long. 6½, 7, lat. 1½, 2 lin.

Cel. Auctor inſectum ſuum Hellwigio ipſe miſit. Schaefferi iconem idem repraeſentare, apparet. I.

1454. *S. Arbuſtorum*, antennis ſetariis tomentoſus, abdomine nigro ſegmento primo, ſecundoque latere ferrugineis. F. Sp. 424. 15.

Muſca

Muſca Arbuſtorum Linn. Syſt. Nat. 974. 31. Fn. Sv. 1798.

♀ *Eriſtalis Nemorum* vid. 1452. mas.

Eriſtalis Arbuſtorum Fabr. Syſt. Antl. 236. 17.

Similis *S. Nemorum*, et a Linnaeo in Fn. Sv. optime diſtinctus.

Hab. in floribus Vmbellatis frequens. Long. 4½, lat. 1½ lin.

Eriſtalin Arbuſtorum marem *E. Nemorum* eſſe, mihi perſuaſum habeo. *E. Nemorum* ſemper oculis fronte disiunctis, *E. Arbuſtorum* iisdem contiguis occurrit, vti feminis et maſculis ſolitarium eſt in congeneribus. I.

1455. *S. tenax*, antennis ſetariis tomentoſus, thorace griſeo, abdomine fuſco, tibiis poſticis compreſſo-gibbis. F. Sp. 425. 19.

Muſca tenax Linn. Syſt. Nat. 984. 32 Fn. Sv. 1799.

Geoffr. Inſ. 2. 520. 52.

Muſca porcina De Geer Inſ. 6. 98. 1.

Reaum. Inſ. 1. t. 2.

Alb. Inſ. tab. 63. fig. e. f. g.

♀ *Eriſtalis tenax* Fabr. Syſt. Antl. 238. 24.

Latr. H. N. XIV. 364. 3.

Variare videtur femoribus incraſſatis. *Conops fuſcus*, et *Conops vulgaris* Scop. Ent. Carn. forte huc referendi.

Hab. in floribus frequens, ſaepiusque redit ad plantam vnde pulſus. Long. 6, lat. 2 lin.

(p. 286.)

1456. *S. clauipes*, antennis ſetariis, tomentoſus, cinereus, thorace faſcia nigra, abdominis apice fuluo, femoribus poſticis arcuatis. F. Sp. 427. 29.

♀ *Me-*

♀ *Merodon clauipes* Fabr. Syſt. Antl. 195. 1.
Deſcriptio Fabricii repetita. In noſtris ſpeciminibus non femora tantum, ſed tibiae etiam poſticae dentatae.
Hab. in hortis medio vere frequens. Long. 6½, lat. 2 lin.

1457. *S. grauipes*, antennis ſetariis, tomentoſus, cinereo-rufus, abdomine nigro, faſciis lineisque alternis cinereis, femoribus poſticis arcuatis.

♀ *Merodon grauipes* n. ſp.
Statura et magnitudo praecedentis. Antennae ſetariae nigrae. Frons cinereo-pubeſcens. Thorax et ſcutellum tomentoſa, pilis cinereo-rufis. Abdomen nigrum, marginibus cinereo-ciliatis, faſciisque alternis in medio ſinguli ſegmenti cinereo-tomentoſis. Pedes nigri cinereo-ſubtomentoſi femoribus poſticis valde incraſſatis, arcuatis, et latere externo ad apicem vnidentatis. Forte alter ſexus prioris?
Hab. cum praecedente in floribus. Long. 6, lat. 2 l.

(p. 287.)

* 1458. *S. apiformis*, *M. apiformis* antennis ſetariis elongatis, tomentoſa capite, thoraceque aeneis, villis rufis, abdomine nigro villis aureis, pedibus dilatatis flauo-rufis. De Geer Inſ. 6. 128. 18. t. 7. f. 18.

♀ *Mulio mutabilis* Fabr. Syſt. Antl. 184. 4.
Mulio apiarius Fabr. l. c. 185. 9.
Aphritis auropubeſcens Latr. H. N. XIV. 358. 1.
Var.: Mulio deuius Fabr. Syſt. Antl. 185. 5.
Mea ſpecimina omnino conueniunt cum deſcriptione,

ne, et figura a De Geer l. c. exhibita; differunt tantum magnitudine paulo minori; ſed de identitate non dubitandum. *M. apiformis* Schrankii E. I. 933. diuerſa.

Hab. in ſiluis rarus. Long. 4½, lat. 1½ lin.

Deſcriptio *Mulionis mutabilis* a Fabricio in Ent. ſyſt. data, in hanc ſpeciem cadit, poſtea vero aliud inſectum *Mulionem mutabilem* habuiſſe videtur, quod e verbis *Mulioni apiario* additis colligo; *Mutabili* Supplem. enim ne tuberculi pro antennarum inſertione frontalis veſtigium eſt, quod tamen in Syſt. Antliat. illi tribuit, *Mulionem auratum* ſeu *Syrphum auratum* Auctor. n. 1462. *Mulionem mutabilem* forte putans. Caeterum annotandum, *Mulionem mutabilem* Panzeri Fn. Germ. 82. tab. 21. ſecundum corpus huc ſpectare, at antennis *Eriſtalin* aut *Scaeuam* prodere. I.

1459. *S. bicinctus*, antennis ſetariis elongatis, niger, thorace lateribus punctis, abdomineque cingulis duobus flauis. F. Sp. 427. 30.

Muſca bicincta Linn. Syſt. Nat. 985. 38. Fn. Sv. 1805. De Geer Inſ. 6. 126. 16. t. 7. f. 16.

♀ *Mulio bicinctus* Fabr. Syſt. Antl. 183. 2.

Pſarus bicinctus Latr. H. N. XIV. p. 358.

Syrphus bicinctus Panz. Faun. Germ. 45. tab. 18.

Abdomen deflexum, nigrum faſciis duabus flauis transuerſis remotiſſimis arcuatis, lineola flaua inter vtramque. Ad baſin thoracis macula parua ſeu puncto luteo laterali, lineisque binis dorſalibus obſoletis, approximatis. Pedes flaui. Alae ad marginem craſſiorem fuſco-maculatae.

Hab. in ſiluis. Long. 4¼, lat. 2 lin.

Faſciis duabus maioribus flauis abdominis dorſi, alia anguſtior medio interrupta, interiacere ſolet;

let; et ſimilis faſcia tenuis intercepta ſub anum adeſt. I.

1460. *S. arcuatus*, antennis ſetariis elongatis, niger, thorace maculis lateralibus abdomine cingulis quatuor arcuatis flauis. F. Sp. 427. 31.

Muſca arcuata Linn. Syſt. Nat. 985. 39. Fn. Sv. 1806.
Geoffr. Inſ. 2. 506. 28.
De Geer Inſ. 6. 125. 15.
De Geer Inſ. 6. 125. 14. t. 7. f. 14.
♀ *Mulio arcuatus* Fabr. Syſt. Antl. 184. 3.
Pſarus arcuatus Latr. H. N. XIV. 258. 2.
Eriſtalis feſtiuus Fabr. Syſt. Antl. 242. 46.
Muſca feſtiua Scop. Ent. Carn. 964.

Antennae nigrae, elongatae ſeta laterali flaua. Frons luteſcens linea media nigra ad os decurrente. Thorax nigricans lateribus ſcutelloque flauis. Abdomen faſciis arcuatis quatuor luteis medio interruptis. Pedes ferruginei tibiis flauis. Alae ad marginem craſſiorem ferrugineae.

Hab. in floribus frequens. Long. 5, lat. 2 lin.

Scutellum flauum macula media nigra. *Syrphus arcuatus* Panzeri Fn. Germ. 2. tab. 10. et De Geerii *Muſca faſciolata* 6. 125. 14. tab. 7. fig. 14. alia ſpecies eſt, *Mulio faſciolatus* noſter, a Geoffroyo Inſ. II. 507. 29. deſcriptus. I.

(p. 288)

1461. *S. ſegnis*, antennis ſetariis, nudus, thorace aeneo, abdomine ferrugineo, apice nigro. F. Sp. 428. 36.

M. ſegnis Linn. Syſt. Nat. 988. 57. Fn. Sv. 1823.
De Geer. Inſ. 6. 121. 12. t. 7. f. 10.
Geoffr. Inſ. 2. 526. 62.
Schrank. E. I. 914.

♀ *Mi-*

♀ *Mileſia ſegnis* Fabr. Syſt. Antl. 191. 14.
Syrphus ſegnis Panz. Fn. Germ. 60. tab. 3.
Optime deſcriptus a De Geer l. c. Corpus elongatum, depreſſum baſi et apice nigrum, in medio rufum. Femora poſtica craſſiora longitudinaliter ſpinoſa et ad patellas, ſiue baſes quibus femora inſident, dens acutus incumbens.
Hab. in hortis non rarus. Long. 5, 6, lat. 1 lin.

* 1462. *S. auratus*, antennis ſetariis elongatis nigris ſtylo albo terminatis ſubtomentoſus, aureus.

♀ *Mulio auratus* Muſ. Hellw. Hoffm.
Specioſiſſimus et *M. carnaria* maior. Totus aureus tomento etiam flauo renitens. Color aureus in cadauere tractu temporis fuſco-aeneus euadit. Antennae ſetariae valde elongatae nigrae, ſtylo albo terminatae. Caput magnum fronte inter oculos aurea nuda, labio aureo tomentoſo. Oculi fuſci. Thorax fuſco-aeneus, nitidus, ad latera aureo-tomentoſus. Scutellum nudum concolorum, pilis flauis ciliatum. Abdomen aureo-tomentoſum. Pedes ferruginei femoribus tarſisque nigris. Halteres albi. Alae ad marginem craſſiorem vix flaueſcentes. Variat magnitudine minori. Tab. X. f. 4.
Hab. in floribus rariſſimus. Long. 6½, lat. 2¼ lin.

(p. 289.)

* 1463. *S. impiger*, antennis ſetariis, ater, thorace aeneo fuſco, abdominis apice, tibiisque aureo tomento flauis.

♀ *Mileſia Syluarum* Fabr. Syſt. Antl. 191. 13.
Syrphus impiger Panz. Fn. Germ. 45. tab. 21.

Sta-

Statura *S. ſegnis*, at maior. Corpus elongatum depreſſum. Antennae nigrae, ſeta longa nigra. Frons ſub antennis cinereo-pubeſcens. Oculi fuſci. Thorax aeneo-niger, ſcutello concolori. Abdomen atrum ſegmentis duobus vltimis aureo nitido tomento flauis. Pedes flaui tomentoſi, femoribus, tarſisque duobus vltimis nigris. Alae hyalinae ad coſtam pone dimidium fuſceſcentes, non diuerſae ab alis *S. ſegnis*. Tab. X. fig. 3. "Eſt *S. Syluarum* Fabr.,, (App. p. 143.)

Hab. in ſiluis non frequens. Long. 6½, lat. 1⅓ lin.

1464. *S. conopſeus*, antennis ſetariis, nudus, niger, thorace lineis lateralibus, abdomine faſciis tribus flauis. F. Sp. 429. 38.

Muſca conopſoïdes Linn. Syſt. Nat. 982. 21. Fn. Sv. 1790.

Reaum. Inſ. 4. t. 33. f. 12. 13.

Schrank. E. I. 895. Deſcript. optima.

♀ *Ceria conopſoïdes* Muſ. Hellw. Hoffm.

Ceria clauicornis Mas Fabr. Syſt. Antl. 173. 1.

Ceria clauicornis Femina Meigen Dipt. 1. 281. 1. t. 14. f. 11. 12.

Ceria clauicornis Sturm. Verz. 63. 39. t. 4. f. 7. g. h.

Syrphus conopſeus Panz. Fn. Germ. 44. tab. 20.

Ceria clauicornis Latr. H. N. XIV. 356.

Hab. in floribus, frequens etiam in hortis. Long. 5. lat. 1 lin.

Deſcriptionem Schrankianam ſuam faciens Auctor prodit, ſe *Ceriam conopſoïdem* noſtram, quae *Muſca conopſoïdes* Linnaei eſt, nec *Mileſiam conopſeam* Fabricii habere. A *Ceria conopſoïde* alia ſimillima diſtinguenda eſt: *Ceria ſubſeſſilis* Muſ. Hellw. Hoffmanseggiani, eadem, quam Fabricius feminam, Meigen contra marem *Conopſoïdis* putant, quo a vero

vero aberrauerunt; vtriusque ſpeciei enim mas et femina occurrunt, oculis illi contiguis, huic fronte disiunctis. *Ceriae ſubſeſſili* caeterum antennarum petiolus vix e fronte emergens abdominisque ſegmentum baſale ad apicem nec ad baſin macula flaua notatum eſt; *Conopſoïdi* petiolus ille longus, ſegmentumque primum abdominis ad inſertionem maculatum eſt. Cel. Latreille eandem ex icone Schellenb. Dipt. tab. 23. fig. 2., vbi varietas ſexus *Conopſoïdis* falſo putatur, marem eiusdem et *Mileſiam conopſeam* Fabricii coniicit, quibus fallitur. I.

(p. 290.)

1465. *S. flauicornis*, antennis ſetariis, tomentoſus, obſcure-aeneus, antennis tibiisque flaueſcentibus. F. Sp. 431. 49.

An *C. aeneus* Scop. Ent. Carn. 967?

♀ *Eriſtalis triſtis* Fabr. Syſt. Antl. 245. 62.

Latr. H. N. XIV. 364. 4.

Syrphus triſtis Sturm Verz. f. Inſektenſamml. 1796. p. 64. n. 42. tab. 4. fig. 10. m.

Corpus obſcure-aeneum, tomentoſum. Antennae flauae. Labium cinereo-pubeſcens puncto medio ſub antennis nigro eleuato lucido. Oculi cinerei, fuſco-punctati. Thorax albo-lineatus. Femora nigra. Tibiae flauae apice nigrae. Alae hyalinae immaculatae.

Hab. ruri in floribus. Long. 4¾, lat. 2 lin.

Eriſtalis flauicornis Fabricii mihi quidem ignotus eſt nec eius deſcriptio ad determinandam ſpeciem ſufficit, at eo minus allegari poteſt, cum Auctoris deſcriptio optime in *Eriſt. triſtem* Fabr. quadret. Scopolii *Conops aeneus* pilis pallide-rufis frontis differt, qui *Triſti* cinerei ſunt. I.

1466. *S. ruficornis*, antennis ſetariis, tomentoſus, thorace lineato, abdomine aeneo, alis maculatis. F. Sp. 431. 48.

♀ *Mileſia ruficornis* Muſ. Hellw. Hoffm.

Eriſtalis ruficornis Fabr. Syſt. Antl. 243. 50.

Syrphus ruficornis Panz. Fn. Germ. 77. tab. 20.

Statura fere *S. Florei.* Antennae ferrugineae, ſeta nigra. Frons flaua. Labium flauum. Oculi fuſci. Thorax aeneo-fuſcus lineis quatuor cinereis. Scutellum ferrugineum. Abdomen aureum nitidum. Pedes toti ferruginei. Plantae nigrae. Alae ferrugineae, maculis ſeu punctis in medio duobus nigris, anteriore bilobo oblongo. Tab. X. fig. 9.

Hab. in floribus. Lecti plures in ſilu. menſ. Iul. Long. $5\frac{1}{4}$, lat. $1\frac{1}{2}$ lin.

Magnitudine noſtra ſpecima antecellit, quibus frons nigra, hypoſtoma luteum eſt. I.

1467. *S. ichneumoneus*, antennis ſetariis elongatis cylindricis, niger, fronte, thoracis poſtico, pedibusque ferrugineis. F. Sp. 429. 39.

Muſca ichneumonea Linn. Syſt. Nat. 986. 42. Fn. Sv. 1809.

♀ *Loxocera ichneumonea* Fabr. Syſt. Antl. 202. 1. Latr. H. N. XIV. 386.

Muſca ariſtata Panz. Fn. Germ. 73. tab. 24.

Corpus elongatum. Thorax ferrugineus antice niger. Pedes teſtacei.

Hab. in pratis ſiluaticis. Long. $3\frac{1}{4}$, lat. $\frac{1}{3}$ lin.

(p. 291.)

1468. *S. ſphegeus*, antennis ſetariis elongatis, niger, pedibus rufis. F. Sp. 429. 40.

♀ *Scatophaga rufipes* Fabr. Syſt. Antl. 207. 18.

Baccha ſphegea ibid. 199. 1.

Sepe-

Sepedon paluſtris Latr. H. N. XIV. 386.
Muſca rufipes Panz. Fn. Germ. 60. t. 23.

Corpus oblongum. Antennae elongatae capite longiores nigrae. Pedes rufi palmis nigris, poſtici longiuſculi.

Hab. cum praecedente in floribus. "Prope finem Auguſti occurrit frequens in plantis paluſtribus; an larua in aqua?" (App. Em. p. 143.) Long. 3½, lat. ½ lin.

Cel. Roſſi inſectum ſuum cum Hellwigio communicauit. I.

* 1469. *S. Nanus*, antennis ſetariis, ſubtomentoſus, ore veſiculoſo cano, abdomine flauo, breui, plano, rotundo, faſcia nigra dorſali, alis fuluo, nigroque variis, erectis.

♀ *Thereua craſſipennis* Fabr. Syſt. Antl. 218. 3.
Syrphus craſſipennis Panz. Fn. Germ. 74. tab. 15.
Syrphus hemipterus Panz. l. c. 59. tab. 15. variet.

Accedit ad *S. coleoptratum* F. Sp. 423. 12.

Magnitudo admodum variat. Statura breuis reſpectu latitudinis, vnde nomen. Thorax flauo-tomentoſus. Abdomen aureo-flauum, faſcia lata dorſali nigra anum non attingente. Frons aureo-flaua. Os veſiculoſum album pubeſcens. Scutellum flauum. Pedes fuſci femoribus ſubferrugineis. Alae craſſiores erectae fuluae, nigroque variae, ſeu ferrugineae puncto in medio nigro, neruis, et margine nigrae. In nonullis iam adultis alae margine tenuiori laceratae ſunt, et quaſi praemorſae ob attritum, ſed in iunioribus integrae. Alii occurrunt dimidio minores data magnitudine, alis minus maculatis, nube tantum in medio fu-

ſca, abdominis apice cinereo. Variat etiam ſed rariſſime abdomine toto rufo immaculato. Figura *S. coleoptrati* Schaeff. Icon. t. 71. f. 6. ad hanc vltimam varietatem accedere videtur.

Hab. frequens in Anetho, et in floribus Paſtinacae ſatiuae menſ. Iul. et Aug. Long. 4½, lat. abd. 2 lin. Magn. max.

Schaefferi icon citata aperte hanc Thereuam Fabr. ſeu Phaſiam Latreillii, nec *Th. hemipteram* ſpectat. I.

1470. *S. feſtiuus*, antennis ſetariis, nudus, thorace lineis lateralibus, abdomine cingulis quatuor flauis interruptis. F. Sp. 430. 47.

Geoffr. Inſ. 2. 505. 27.

De Geer Inſ. 6. 118. 9.

♀ *Scaeua philanthina* Muſ. Hellw. Hoffm.

Ater, flauo laete maculatus.

Hab. in floribus frequens. Long. 5, lat. 1½ lin.

Eriſtalis feſtiua Fabricii, *Muſca laeta* Linnaei, Schrankii En. 906. *Conops laetus* Scop. Carn. 964., quos omnes Auctor allegat, *Mulionem arcuatum* iam ſupra Nr. 1460. enumeratum, ſpectant. Geoffroyi et Degeerii inſectum, ſeu noſtram *Scaeuam philanthinam*, hic propoſitum eſſe mihi fere perſuaſum eſt. Quae magnitudine et ſtatura *Scaeuam Pyraſtri* aequans, atra eſt, capite, thoracis linea laterali, ſcutelli apice, abdominisque faſciis quatuor anguſtis interruptis laete luteis, prima latiore; ſegmentorum duorum terminalium margine luteo. Frons ſupra antennas vitta abbreuiata nigra; vertex niger; pedes lutei coxa nigra; alae obſcurius hyalinae venis luteſcentibus, ad coſtam ſtriga fuſca notatae; antennae breues ſubferrugineae. *Eriſtalis laetus* Fabr. Syſt. Antl. 243. 47. huic Scaeuae ſimilis videtur. I.

(p. 292.)

* 1471. *S. ſplendidus*, antennis ſetariis, nudus, ater, thorace faſciis, et punctis, abdomine maculis vtrinque tribus flauis.

♀ *Mileſia fulminans* Muſ. Hellw. Hoffm.

Eriſtalis fulminans Fabr. Syſt. Antl. 341. 39.

Statura *S. ſegnis.* Antennae flauae. Caput nigrum labio, punctoque verticis flauo. Thorax ater, nitidus, puncto antico vtrinque, duobus intermediis oblongis, faſciisque binis poſticis laete flauis prima interrupta, lateribus pariter vtrinque flauo-bipunctatis. Scutellum ferrugineum. Abdomen oblongum, atrum nitidum, ſupra maculis vtrinque tribus magnis laete flauis, anoque flaueſcente. Subtus ſegmentis duobus pellucidis albis. Pedes ferruginei femoribus poſticis dentatis. Alae hyalinae coſta ferruginea apice obſcuriori. Deſcriptio *S. Pratorum* F. cum hoc quodammodo conuenit; ſed ſtatura, aliisque notis videtur omnino diſtinctus. Tab. X. fig. 10.

Habitat in ſiluis rarus. Long. 6½, lat. 1½ lin.

Noſtra ſpecimina Luſitanica maſcula oculis ante verticem conniuentibus fuſcis, verticis parte poſtica nigra, antica lutea, facie vnicolore ſericeo-lutea, femina oculis disiunctis, facie ſericeo-lutea, vertice frontisque linea media nigris ſunt. Caput omnibus poſtice luteo-marginatum, femora baſi fuſca, coxae nigrae ſunt. I.

* 1472. *S. auidus*, antennis ſetariis, tomentoſus, thorace lituris quatuor longitudinalibus albidis, abdomine obtuſo, femoribus poſticis craſſioribus vnidentatis.

Antennae fuſcae, ſeta nigra. Labium cinereo to-

mentoſum. Thorax fuſcus flauo-pubeſcens, lineis quatuor dorſalibus albidis. Scutellum fuſcum. Abdomen tomentoſum obtuſum flauo-aeneum, faſciis pallide-flauis arcuatis interruptis. Pedes ferruginei femoribus nigris; poſticis craſſioribus, vnidentatis. Alae obſcurae.
Hab. in Pruni domeſticae foliis inter Aphides. Long. 6, lat. 1½ l.

Eriſtalis eſſe videtur. I.

(p. 293.)

* 1473. *S. Pruni*, antennis ſetariis, tomentoſus, thorace lituris quatuor longitudinalibus albidis, abdomine baſi fuluo, apice nigro, faſciis flauis, femoribus poſticis craſſioribus vnidentatis.

Praecedenti affinis, at corpulentior, et abdominis apice minime obtuſo. Caput et thorax fere vti in priore. Abdomen vero in hoc antice fuluum, poſtice nigrum, et faſciae duae flaueſcentes nullo modo interruptae: praetereaque ille gerit corpus erectum; hic deflexum. Reliqua omnia ſimilia. Forte alter ſexus? Tab. X. f. 7. Saepe lectus cum praecedente eodem tempore et loco. Long. 6¼, lat. 2 l.

1474. *S. gibboſus*, antennis ſetariis, ſubtomentoſus, fuſcus, abdomine ſubgloboſo, atro, cingulis quatuor albis, ſquamis halterum buccatis. F. Sp. 432. 55.

Muſca gibboſa Linn. Syſt. Nat. 987. 49. Fn. Sv. 1815.

Schaeff. Icon. t. 200. f. 1.

♀ *Henops gibboſus* Fabr. Syſt. Antl. 333. 1.

Ogcodes gibboſus Latr. H. N. XIV. 315. 1.

Fa-

Facies ſingularis. Caput paruum. Abdomen ſubgloboſum, ſupra fuſcum, marginibus late albis. Subtus albidum. Pedes teſtacei.

Hab. in floribus, rarus. Long. 2¾, lat. 1½ lin.

Specimina huius ſpeciei Auctor ipſe Hellwigio miſit. I.

1475. *S. noctilucus*, antennis ſetariis, ſubtomentoſus, ater, abdominis primo ſegmento maculis duabus pellucidis. F. Sp. 431. 54.

Muſca noctiluca Linn. Syſt. Nat. 986. 48. Fn. Sv. 1814.

♀ *Scaeua noctiluca* Muſ. Hellw. Hoffm.

Eriſtalis noctiluca Fabr. Syſt. Antl. 247. 69.

Caput et thorax nigra. Abdomen glabrum nigrum, primo ſegmento maculis duabus ouatis hyalinis, ſupra et ſubtus pellucidis. Pedes flaui femoribus nigris. Alae hyalinae in medio fuſcae.

Hab. in floribus frequens. Long. 3½, lat. 1¼ lin.

Panzeri *Syrphus noctilucus* Fn. Germ. 72. tab. 24. quam Fabricius allegat, *Scaeua Roſarum* Fabr. Syſt. Antl. 251. 11. eſt. I.

(p. 294.)

* 1476. *S. Praecox*, antennis ſetariis, tomentoſus, thorace lineis quatuor longitudinalibus flauis, abdomine laete flauo maculato, femoribus poſticis incraſſatis.

♀ *Eriſtalis lineata* Muſ. Hellw. Hoffm.? cf. Syrpho pendulo 1450. adſcripta.

Syrphus pendulus Panz. Faun. Germ. 22. tab. 21.?

Schaeff. Icon. tab. 156. fig. 1.?

Statura et magnitudo *S. florei.* Antennae nigrae, ſeta flaua. Caput inter oculos flauum labio flauo, lineaque media nigra vsque ad os. Thorax ater li-

lineis quatuor longitudinalibus flauis. Scutellum ſordide flauum. Abdomen atrum ſegmentis omnibus flauo-marginatis primo, ſecundo et tertio vtrinque flauo-maculato, maculis aureo-flauis conicis, fere in faſciam interruptam connatis, prima, alteraque maiore. Subtus laete flaueſcit. Pedes nigri tibiis flauis, femoribusque poſticis craſſioribus, interdum vnidentatis. Alae hyalinae immaculatae. Variat maculis ſecundi ſegmenti magnitudine priores aequantibus. Fig. Schaeff. Ic. t. 129. f. 3. 4. ad hunc accedere videtur. Tab. X. fig. 8.

Hab. inter Aphides. Long. 5⅔, lat. 2 lin.

Pedum deſcriptio in *Er. lineatam* noſtram non cadit, caetera bene quadrant. Schaeff. Icon. t. 129. f. 3. 4. *Er. pendulam* repraeſentant. I.

1477. *S. diophthalmus*, antennis ſetariis, nudus, thorace maculato, abdomine cingulis ſex flauis. F. Sp. 430. 35.

♀ *Mileſia diophthalma* Fabr. Syſt. Antl. 187. 2. Latr. H. N. XIV. 361. 1.

Antennae patellatae, ſubnigrae, ſeta ferruginea. Oculi glauci margine, faſcia, punctisque nigris. Os flauum linea media nigra. Thorax niger nitidus, glaber, punctis anticis vtrinque binis, et ſeptem vtrinque lateralibus flauis, quorum quatuor maiora, dorſo poſtice vndique flauo-marginato, punctis duobus mediis oblongis transuerſis. Abdomen nigrum, nitidum, cingulis ſex laete flauis, primo, tertio et quinto vix interruptis. Abdomen ſubtus flauum, in medio nigrum. Pedes pallide ferruginei, antici tarſis fuſcis; poſtici

ci femoribus acute dentatis. Alae hyalinae margine craſſiori late fuſco. Differt a *M. diophthalma* Linn. Fn. Sv. numero punctorum thoracis; ſed de *S. veſpiformi* F. non dubitandum: oculi enim glauci, abdominis ſegmenta margine flaua, femoraque poſtica acute-dentata ſat bene diſtinguere videntur. Tab. X. fig. 2.
Hab. in floribus rarus.

(p. 295.)

1478. *S. Ribeſii*, antennis ſetariis, nudiuſculus, thorace immaculato, abdomine cingulis quatuor flauis, primo interrupto. F. Sp. 432. 57.
M. Ribeſii Linn. Syſt. Nat. 987. 50. Fn. Sv. 1816.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 511. 45.
De Geer Inſ. 6. 103. 4. t. 6. f. 8.
Goed. Inſ. 1. t. 41.
Schrank. E. I. 905.
♀ *Scaeua Ribeſii* Fabr. Syſt. Antl. 248. 1.
Syrphus Ribeſii Latr. H. N. XIV. 362. 1.
Variat magnitudine minori.
Hab. in hortis frequens. Larua victitat Aphidibus. Long. 4, lat. 1½ lin.

1479. *S. Pyraſtri*, antennis ſetariis, niger, nidiuſculus, thorace immaculato, abdomine bis tribus lunulis albis recuruatis. F. Sp. 432. 58.
Muſca Pyraſtri Linn. Syſt. Nat. 987. 51. Fn. Sv. 1817.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 516. 46.
Muſca Roſae De Geer Inſ. 6. 108. 5. t. 6. f. 18.
Scop. Ent. Carn. 931.
Schrank. E. I. 907.
Reaum. Inſ. 3. t. 31. f. 9.
Alb. Inſ. tab. 66. Goed. Inſ. 1. t. 47.

Merian. Europ. tab. 89.

♀ *Scaeua Pyraſtri* Fabr. Syſt. Antl. 249. 3.

Syrphus Pyraſtri Latr. H. N. XIV. 363. 2.

Larua viridis linea alba longitudinali occurrit in Roſa inter Aphides.

Hab. in floribus frequens. Long. 6, lat. 1¾ lin.

(p. 296.)

1480. *S. Menthaſtri*, antennis ſetariis, nudus, niger, thorace maculato, abdomine cingulis quatuor, ſcutelloque flauis. F. Sp. 433. 59.

Muſca Menthaſtri Linn. Syſt. Nat. 987. 53. Fn. Sv. 1819.

Muſca Geoffr. Inſ. 2. 514. 41.

De Geer Inſ. 6. 119. 10.

Schrank. E. I. 909.

♀ Femina: *Scaeua Menthaſtri* Fabr. Syſt. Antliat. 251. 13.

Mas: *Scaeua ſcripta* Fabr. l. c. 252. 17.

Nonnulla ſpecimina habeo maiora, quae mihi viſa ſunt conuenire cum *S. Menthaſtri* Schaeff. Ic. t. 113. f. 1. exhibet omnino ſimilem noſtris. At cum aſſerat Linnaeus, quem ſequitur Scopoli Ent. Carn. 933. *S. Menthaſtri* eſſe *M. domeſtica* ſemper dimidio minorem, orta dubitatio de differentia ſpecifica: Iudicent alii; ad alias enim Fabricianas ſpecies referre non potui. Forte alter ſexus?

Hab. in floribus frequens. Long. 3½, lat. ½ lin.

Scaeuae Menthaſtri feminas, *Scriptae* mares tantum vidi; mihi ſexu ſolo differre videntur, cui Geoffroyus l. c. aſſentit. Inde patet, familias a cl. Latreillio ex abdominis formâ illis plana et ſubtriangulari, his ſubcylindrica fere clauata ſumtas delendas eſſe. Schaefferi icon allata tab. 113. fig. 1. marem ſeu *Sc. ſcriptam* Fabr. exhibet et tab. 181. fig.

fig. 4. feminam non repraeſentat, vti Panzerus putat. Geoffroyi Muſca 42. p. 515., quam Fabricius *Scaeuam Menthaſtri* credit, *Sc. mellina* eſt. I.

(p. 297.)

1481. *S. mellinus*, antennis ſetariis, nudus, thorace ſubaeneo immaculato, abdomine maculis octo luteſcentibus. F. Sp. 433. 61.

Muſca mellina Linn. Syſt. Nat. 988. 55. Fn. Sv. 1821.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 515. 42.
De Geer Inſ. 6. 117. 8.
Scop. Ent. Carn. 934.
Schrank. E. I. 910.
♀ *Scaeua mellina* Fabr. Syſt. Antl. 251. 12.

Hab. in floribus frequens. Long. $2\frac{1}{2}$, lat. $\frac{2}{3}$ lin.

Scopolii *Muſca mellina* potius *Scaeuam ſcalarem* Fabricii ſpectare videtur. Mas oculus connatis, et abdomine magis lineari quidem, at plano differt. I.

1482. *S. fugitiuus*, antennis ſetariis, nudus, abdomine atro violaceo, lunulis tribus albis.

Antennae ſetariae, nigrae. Caput nigrum, fronte, poſticeque cinctum linea viridi-aenea nitida. Thorax nigro-aeneus laeuis, glaber, nitens. Abdomen ſubcylindricum laeue nitidum, atro-violaceum, lunulis vtrinque tribus albis, paruis, et ſinu thoracem reſpicientibus. Pedes ferruginei femoribus nigris. Alae hyalinae.

Hab. in floribus. Long. 3, lat. 1 lin. vix.

Vtrum *Scaeuae* an *Mileſiae* ſpecies ſit, determinare, deſcriptio non ſufficit. I.

* 1483. *S. alternatus*, *Muſca alternata* thorace nigro viridi, ſcutello flauo, abdomine nigro faſciis trans-

tranſuerſis luteis, alternis maioribus, prima interrupta. Schrank. E. I. 908.

Muſca Geoffr. Inſ. 2. 514. 40.
M. cannabina Scop. Ent. Carn. 929.
Muſca balteata De Geer Inſ. 6. 116. 7.
♀ *Scaeua nectarea* Fabr. Syſt. Antl. 253. 22.
Syrphus nectareus Panz. Fn. Germ. 52.

Niger nudiuſculus. Thorax ſubaeneus. Abdomen pellucidum flauum faſciis, ſeu cingulis nigris alterne anguſtioribus. Pedes flaui. Alae hyalinae. Hab. in hortis frequens. Long. 4½, lat. 1 lin.

Mari oculi contigui ſunt, caeterum Feminae ſuae ſimilis eſt abdominis forma. I.

(p. 298.)

1484. *S. pipiens*, antennis ſetariis, nudus, abdomine vtrinque albo maculato, femoribus poſticis clauatis dentatis. F. Sp. 434. 65.

Muſca pipiens Linn. Syſt. Nat. 988. 56. Fn. Sv. 1822.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 519. 49.
De Geer Inſ. 6. 120. 11. t. 7. f. 8.
Schrank. E. I. 915.
Conops pipiens Scop. Ent. Carn. 969.
♀ *Mileſia pipiens* Fabr. Syſt. Antl. 194. 27.
Latr. H. N. XIV. 362. 2.
Syrphus pipiens Panz. Fn. Germ. 32. tab. 20.

Hab. in floribus frequens. Long 3½, lat. ⅔ lin.

Oculi antrorſum contigui mares produnt. I.

* 1485. *S. lugens*, antennis ſetariis, nudiuſculus, abdomine nigro faſciis duabus flauis interruptis, femoribus poſticis elongatis craſſioribus.

♀ *Scaeua 4maculata* Muſ. Hellw. Hoffm.
Syrphus 4maculatus Panz. Fn. Germ. 86. tab. 19.?

Facies *S. pipientis*, at paullo maior. Caput antennae-

naeque nigrae. Thorax et ſcutellum nigro-aenea. Abdomen nigrum pubeſcens, ſegmento ſecundo, et tertio faſcia lata flaua interrupta. Pedes nigri digitis ſubferrugineis. Femora poſtica nigra, craſſiora elongata, minime clauata, neque dentata. Tibiae incuruae. Alae hyalinae immaculatae.
Hab. in floribus. Long. 4, lat. 1 lin.

CLXXXII. MVSCA.

Os proboſcide atque hauſtello. *Hauſtellum* ſeta vnica absque vagina. *Palpi* duo porrecti extrorſum craſſiores. *Antennae* ſetariae.

* *Antennis ſeta plumata.*

1486. *M. inanis.* antennis plumatis, fuſca, abdomine pellucido, cingulis tribus nigris. F. Sp. 435. 1.

♀ I. *Syrpus inanis* Muſ. Hellw. Hoffm.
Syrphus micans Fabr. Syſt. Antl. 224. 2.
Muſca inanis Linn. Syſt. Nat. 989. 61. Fn. Sv. 1825.
Muſca apiuora De Geer Inſ. 6. 56. 3. t. 3. f. 4.
Muſca zonaria Schrank. E. I. 919.
Conops trifaſciatus Scop. Ent. Carn. 953.
Schaeff. Icon. tab. 36. fig. 7. 8.

II. *Syrphus bifaſciatus* Panz. Fn. Germ. 2. tab. 8.
Syrphus inanis Fabr. Syſt. Antl. 223. 1.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 504. 23.
Schaeff. Icon. tab. 80. fig. 1

Thorax fuſco-rufus ſcutello concolore. Variat cingulis abdominalibus nunc duobus, nunc tribus nigris.
Hab. etiam in hortis, frequens in Vmbellatis. Long. 7, lat. $3\frac{1}{2}$ lin.

Ex illis, quae de cingulis abdominalibus addit Auctor, apparet, illum duas ſpecies probe diſtinguendas comprehendiſſe, quas et Latreille H. N. XIV. 366. 2. ſub *Volucello inani* confundit. Fabricius et alii ſynonyma vtriusque miſcent, quae ſupra rite diſtribui. Geoffroyi Inſ. II. 543. 1. Fabricio citata, *Nemotelum vliginoſum* ſpectat. I.

(p. 299.)

1487. *M. pellucens*, antennis plumatis, nigra, abdominis ſegmento primo pellucido albo. F. Sp. 435. 2.

Conops Dryaphilus Scop. Ent. Carn. 957.

♀ *Syrphus inflatus* Fabr. Syſt. Antl. 226. 8.

Habitu et magis colore conuenit cum praecedente, ſed minor, et corpore magis rotundo. Antennae plumatae flauae. Caput inter oculos flauum, puncto nigro in quo ſtemmata. Oculi fuſci. Labium elongatum flauum apice bifido. Thorax nigricans faſcia laterali, ſcutelloque ſordide flauis. Halteres albidi. Abdomen ſphaericum nigrum baſi maculis duabus magnis pellucidis fuluis, ſepto nigro diuiſis, ſubtus albidis; apice vero nigrum, et flaua pube holoſericeum. Pedes nigri tibiis baſi ſubferruginea. Alae baſi ferrugineae macula nigra medio impoſita coſtae, et ad apicem alae eiusdem, neruis fuſcis.

Hab. in floribus, praeſertim Hederae; et in truncis arborum humorem ſtillantibus, non frequens.

Long. 5½, lat. 3¼ lin.

Deſcriptio, partim a Scopolio mutuata, docet, Roſſium *Syrphum pellucentem* verum non noſſe, cui ſegmentum primum abdominis ſemper albi, numquam fului coloris eſt; at in *Syrphum inflatum* Fa-

Fabricii, ex Italia allatum, in noſtra ſylua Hercyniana vero quoque degentem, optime cadit; illi *Conops dryaphilus* Scopolii conuenit. Reliqua citata e Linnaeo, Geoffroyo, De Geerio, Schrankio, vti Fabriciarum ipſum, delenda erant. I.

(p. 300.)

1488. *M. carnaria*, antennis plumatis, piloſa nigra, thorace lineis pallidioribus, abdomine nitido teſſellato. F. Sp. 436. 4.

Linn. Syſt. Nat. 990. 68. Fn. Sv. 1832.
Muſca vipara maior De Geer Inſ. 6. 63. 8. t. 3. f. 5.
Geoffr. Inſ. 2. 527. 65.
M. variegata Scop. Ent. Carn. 869.
Schrank. E. I. 927.
Reaum. Inſ. 4. t. 29. f. 4. 6.
Schaeff. Icon. t. 40. f. 1. 2.
♀ *Muſca carnaria* Fabr. Syſt. Antl. 284. 4.
Latr. H. N. XIV. 381. 4.

Anus et oculi rubri.

Hab. in cadaueribus. Long. 5, lat. 2½ lin.

Anum in duobus tantum ſpeciminibus rubrum vidi, quae copula iuncta deprehenderam, quibus extremum abdominis ſegmentum valde prominebat. Mas dimidio minor femina, abdomine anguſtiore eſt. I.

1489. *M. domeſtica*, antennis plumatis, thorace lineato, abdomine teſſellato, ſubtus baſi pallido. F. Sp. 436. 7.

Linn. Syſt. Nat. 990. 69. Fn. Sv. 1833.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 528. 66.
M. domeſtica maior De Geer. Inſ. 6. 72. 10. t. 4. f. 5. 6.
Scop. Ent. Carn. 872.
Schrank. E. I. 928.

♀ *Mu-*

♀ *Muſca domeſtica* Fabr. Syſt. Antl. 287. 18.
Latr. H. N. XIV. 380. 3.
Hab. in domibus. Long. 3, lat. 1 lin.

1490. *M. maculata*, antennis plumatis, cinerea, thorace, abdomineque maculis numeroſis. F. Mant 342. 8.

Linn. Syſt. Nat. 990. 70.
Scop. Ent. Carn 870.
♀ Femina: *M. maculata* Fabr. Syſt. Antl. 287. 14.
De Geer Inſ. 6. 41. 13. tab. 3. fig. 22.
Mas: *M. vulpina* Fabr. Syſt. Antl. 292. 43.
Hab. in Vmbellatis frequens. Long. 3½, lat. 1½ l.

(p. 301.)

1491. *M. Caeſar*, antennis plumatis, viridinitens, pedibus nigris. F. Sp. 437. 10.

Linn. Syſt. Nat. 989. 64. Fn. Sv. 1828.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 522. 53.
De Geer Inſ. 6. 61. 6.
Scop. Ent. Carn. 871.
Reaum. Inſ. 4. t. 8. f. 1.
♀ *Muſca Caeſar* Fabr. Syſt. Antl. 289. 26.
Latr. H. N. XIV. 380. 2.
Hab. in cadaueribus. Long. 3½, lat. 1⅔ lin.

1492. *M. cadauerina*, antennis plumatis, nitens, thorace coeruleo, abdomine viridi. F. Sp. 438. 12.

Linn. Syſt. Nat. 989. 65. Fn. Sv. 1829.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 524. 57.
Muſca viridi-coerulea De Geer Inſ. 6. 62. 7.
Schrank E. I. 925.
♀ *Muſca cadauerina* Fabr. Syſt. Antl. 289. 30.
Hab. in cadaueribus. Long. 3, lat. 1⅓ lin.

Citatum: Goedart Inſ. 1. 54. praecedentem potius ſpectat. I.

1493.

1493. *M. Mortuorum*, antennis plumatis, thorace nigro, abdomine viridi-aeneo, pedibus nigris. F. Sp. 438. 15.

Linn. Syſt. Nat. 989. 66. Fn. Sv. 1830.
M. chryſocephala De Geer Inſ. 6. 60. 5.
♀ *Muſca Mortuorum* Fabr. Syſt. Antl. 290. 32.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 325. 52.
Schaeff. Icon. tab. 54. fig. 9.

Variat magnitudine minori.
Hab. in cadaueribus frequens. Long. 5½, lat. 2⅓ l.

(p. 302.)

1494. *M. vomitoria*, antennis plumatis, thorace nigro, abdomine coeruleo nitente, fronte fulua. F. Sp. 439. 17.

Linn. Syſt. Nat. 989. 67. Fn. Sv. 1831.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 524. 59.
Muſca carnaria coerulea De Geer Inſ. 6. 57. 4.
Muſca carnaria Scop. Ent. Carn. 868.
Schrank. E. I. 926.
Reaum. Inſ. 4. t. 24. f. 13. 15.
Roeſ. Muſc. t. X. f. 10. 11.
♀ *Muſca vomitoria* Fabr. Syſt. Antl. 290. 34.
Muſca carniuora ibid. 285. 5.

Halterum ſquama margine alba. Spiracula antice vtrinque conſpicua fulua.
Hab. in cadaueribus. Long. 5, lat. 2½ lin.

De Geerii *Muſca chryſocephala* n. 5. quam huc refert Fabricius, antecedens *M. Mortuorum* eſt. I.

1495. *M. coruina*, antennis plumatis, nigra, abdomine teſtaceo, linea dorſali nigra. F. Sp. 440. 21.

Muſca autumnalis De Geer Inſ. 6. 83. 12.
♀ *Muſca coruina* Fabr. Syſt. Antl. 294. 49.

De-

Deſcribit eam Fabricius.
Hab. in plantis. Long. 3½, lat. 2½ lin.

Muſca albifrons Linnaei Syſt. Nat. 2. 991. 78. Fn. Sv. 1834., eadem cum *M. nigripede* Panzeri Fn. Germ. 60. tab. 13., at diuerſa a *M. albifronte* Fabricii, haec *M. coruina* eſſe videtur. I.

(p. 303.)

1496. *M. elata*, antennis plumatis, ſetaria, pallide teſtacea, alis punctis duobus, coſtaque fuſcis. F. Sp. 441. 27.

♀ *Scatophaga elata* Muſ. Hellw. Hoffm.
Muſca elata Fabr. Syſt. Antl. 297. 69.

Deſcriptio Fabriciana repetita.
Hab. etiam in hortis non rara. Long. 3½, lat. ⅔ l.

** *Antennis ſeta nuda.*

1497. *M. fera*, antennis ſetariis, nigra, abdominis lateribus teſtaceo-diaphanis. F. Sp. 441. 28.

Linn. Syſt. Nat. 961. 74. Fn. Sv. 1836.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 509. 33.
Schrank. E. I. 934.
♀ *Tachina fera* Fabr. Syſt. Antl. 308. 1.
Echinomyia fera Latr. H. N. XIV. 377. 2.
Muſca fera Panz. Fn. Germ. 20. tab. 18.
Varietas: *Tachina teſſellata* Fabr. Syſt. Antl. 309. 5.

Hab. in Vmbellatis frequens. Long. 6, lat. 2¼ l.

1498. *M. lurida*, antennis ſetariis, piloſa, thorace fuſco, abdomine atro, lateribus baſi teſtaceis. F. Sp. 441. 29.

Differt a *M. fera*, et hisce notis praecipue diſtinguitur; nempe thorace ſublineato, abdomine absque faſcia nigra dorſali, ſtrigis albis lucidioribus,

et

et ore magis veſiculoſo, et magis rotundo. Pedes modo rufi, modo nigri. Corpus vti in praecedente pilis hirtum.

Hab. in pratis et hortis. Long. 5, lat. 2 lin.

Deſcriptio h. l. data in *Tachinam luridam* Fabr. Syſt. Antl. 310. 6. non cadit. I.

1499. *M. groſſa*, antennis ſetariis, nigra, alis baſi ferrugineis. F. Sp. 441. 30.

Linn. Syſt. Nat. 991. 75. Fn. Sv. 1837.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 495. 24.
Muſca De Geer. Inſ. 6. 21. 1. t. 1. f. 1.
Schrank. E. I. 936.
Reaum. Inſ. 4. t. 26. f. 10.
Schaeff. Icon. t. 108. f. 6.
♀ *Tachina groſſa* Fabr. Syſt. Antl. 310. 7.
Echinomyia groſſa Latr. H. N. XIV. 377. 1.
Muſca groſſa Panz. Fn. Germ. 32. tab. 21.

Corpus vndique ſetis duris hirtum. Caput flauiſſimum. Antennae ferrugineae apicibus nigris. Alae baſi ferrugineae. Vnguium lamellae flauae.

Hab. in paſcuis rara. Long. 6½, lat. 3 lin.

Geoffroyi Muſcam 5, quam eandem putant Fabricius et Roſſi, ob paruam ſtaturam potius *Tachinam tremulam* crederem, niſi orbitam anticam auream deſcriberet Geoffroy, quae argentea eſt *Tremulae*. In Germania Tachinae ſpecies occurrit, *Groſſae* et *Tremulae* intermedia, priori ſimillima, at dimidio minor et fronte nigra, ſcutello teſtaceo, quam *Panidam* nuncupamus. I.

(p. 304.)

1500. *M. tremula*, antennis ſetariis, piloſa, atra, nitens, alarum baſi, ſquama halteribusque ferrugineis. F. Sp. 442. 32.

Linn. Syſt. Nat. 991. 77.
Scop. Ent. Carn. 885.
♀ *Tachina tremula* Fabr. Syſt. Antl. 310. 9.

Tota nigerrima, nitens, pilis longis rudibus hirta. Abdomen ouatum.

Hab. in floribus frequens. Long. 3¾, lat. 1⅓ lin.

* 1501. *M. impauida*, antennis ſetariis, piloſa, thorace ſubaeneo, abdomine flauo-teſtaceo linea dorſali obſoleta nigra, lateribus punctis tribus aeneis.

Statura *M. ferae*, ſed minor. Antennae teſtaceae, deflexae ſeta longa laterali nigra. Caput flaueſcens, piloſum linea vtrinque punctorum nigrorum ante oculos. Thorax ſubaeneus, hirtus, ſcutello concolore. Abdomen ouatum, nudiuſculum, teſtaceum linea dorſali nigra apicem haud attingente; punctisque tribus aeneis lateralibus. Subtus tota teſtacea. Alae hyalinae ad marginem craſſiorem fuſceſcentes.

Hab. in floribus rara. Long. 4¼, lat. ⅔ lin.

Muſcae ſpecies nobis eſt Luſitanica, cui haec deſcriptio omnibus competit, at aliquanto minor eſt menſura data, abdomineque plano gaudet. I.

(p. 305.)

1502. *M. rotundata*, antennis ſetariis, thorace ſublineato, abdomine ſubrotundo ferrugineo, linea longitudinali punctorum nigrorum. F. Sp. 442. 33.

Linn. Syſt. Nat. 991. 76. Fn. Sv. 1838.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 509. 32.
De Geer Inſ. 6. 29. 8. t. 1. f. 11.
Scop. Ent. Carn. 883.

♀ *Gymno-*

♀ *Gymnoſoma rotundata* Meigen.
Tachina rotundata Fabr. Syſt. Antl. 311. 12.
Ocyptera rotundata Latr. H. N. XIV. 379. 3.
Muſca rotundata Panz. Fn. Germ. 20. tab. 19.
Schaeff. Icon. t. 54. f. 8.

Antennae longiuſculae, nigrae. Frons aurea. Labium album. Thorax niger, interdum antice flaueſcens. Abdomen pallide-rufum annulis quaſi indiſtinctum, rotundum punctis quatuor nigris longitudinaliter poſitis. Pedes nigri. Variat magnitudine.

Hab. in floribus. Long. 2, 3, lat. $\frac{3}{4}$, 1 lin.

Thorax antrorſum luteo-vireſcens, fuſco-ſtrigatus eſt. At occurrunt ſpecimina, quibus thorax nudus niger ſit, quaſi detritus, antice vtrinque caneſcens; iisdem abdominis puncta nigra in maculas in vittam mediam latam dentatam cohaerentes, imo in faſcias abbreuiatas dilatata ſunt. Quae vtrum varietatem, an ſpeciem referant, mihi nondum liquet. I.

1503. *M. laruarum*, antennis ſetariis, nigricans, ſcutelli apice ſubteſtaceo, abdomine teſſelato. F. Sp. 442. 34.

Linn. Syſt. Nat. 992. 78. Fn. Sv. 1839.
M. maior laruarum De Geer Inſ. 6. 24. 3. t. 1. f. 7.
M. laruarum minor ib. 6. 25. 4.
Scop. Ent. Carn. 888. 1. 2. 3. 4.
Schrank. E. I. 937.
♀ *Exoriſta laruarum* Muſ. Hellw. Hoffm.
Muſca laruarum Fabr. Syſt. Antl. 300. 81.

Haec Muſca admodum variare viſa eſt colore, et magnitudine. In omnibus tamen quas habeo mihi e laruis *Gloſſatorum* excluſis, quaedam habitus ſimilitudo obſeruata, omnesque piloſae, nigro-

 cine-

cinereae, abdomine ſaepe teſſulato, antenniſque deflexis.
Hab. in laruis *Gloſſatorum.* Long. 4, 4½, lat. 1½, 2 lin.

(*p. 306.*)

* 1504. *M. leucocephala*, antennis ſetariis, nigricans, hirta fronte argentea abdominis ſegmento ſecundo tertioque maculis ſericeis albidis trimaculato.

♀ *Metopia labiata* Meigen.
Muſca labiata Fabr. Syſt. Antl. 304. 100.
Muſca leucocephala Panz. Fn. Germ. 54. tab. 14.

Statura fere *M. domeſticae*, ſed minor. Caput nigrum hirtum. Oculi fuſci. Baſis antennarum porrecta argentea ſplendentiſſima. Antennae deflexae patella elongata. Thorax fuſco-cinereus, nigro-ſublineatus. Abdomen fuſcum hiſpidum ordine duplici albido maculoſo maculis triangularibus nitidis. Pedes nigri. Alae hyalinae.
Hab. in laruis Gloſſatorum. Long 2⅓, lat. ⅔ lin.

In Hercynia, circa Aquisgranum, in Auſtria et Dania quoque occurrit haec Metopia, hypoſtomate argenteo admodum inſignis. Eandem partem antennarum baſin vocat Auctor, labium Fabricius. I.

1505. *M. breuis*, antennis ſetariis, piloſa nigra, thorace atro, abdomine rotundo cinereo.
Accedere videtur ad *M. laruarum minorem*, ſed diſtincta. Statura breuis. Antennae atra. Oculi magni rufi. Frons nigro ſubnitens. Caput poſtice atrum. Thorax ater fuliginoſus hiſpidus. Abdomen ouatum, breue, piloſum cinereum, antice nigrum. Halterum ſquamulae magnae. Subtus tota nigra. Alae hyalinae.

Hab.

Hab. in laruis Gloſſatorum. Long. 3, lat. 1⅓ lin.

1506. *M. braſſicaria*, antennis ſetariis, nigra, abdomine cylindrico ſegmento ſecundo tertioque rufis. F. Sp. 443. 36.

Muſca cylindrica De Geer Inſ. 6. 30. 9. t. 1. f. 12.

♀ *Ocyptera braſſicaria* Fabr. Syſt. Antl. 312. 1. Latr. H. N. XIV. 378. 2.

Muſca (Syrphus) ſegnis Panz. Fn. Germ. 22. t. 22.

Deſcriptio Fabriciana repetita.

Hab. in hortis. Long. 5, lat. 1¼ lin.

(p. 307.)

* 1507. *M. praeceps*, antennis ſetariis, nigra, thorace ſublineato, abdomine cylindrico fuluo, linea dorſali nigra. Scop. Ent. Carn. 894.

♀ *Ocyptera cylindrica* Fabr. Syſt. Antl. 313. 2.

Praecedenti valde affinis. Continuo et celeriter volat, longis pedibus inſiſtens expanſis alis, breui tempore quieſcens, et tunc anticos pedes ſaepe fricans et adterens. Optime Scop. l. c.

Hab. in hortis et circa feneſtras; ſaepe intrans domos. Long. 3½, 5, lat. ¾, 1 lin.

Muſca praeceps Scopolii, quam Auctor ſuam habet, alia eſt, ſcilicet *Ocyptera compreſſa* Fabr. Syſt. Antl.. 314. 5. ſeu *Muſca lateralis* Panz. Fn. Germ. 7. tab. 22. Roſſianam *Muſcam praecipitem Ocypteram cylindricam* Fabricii eſſe, ſpecimina ab Auctore ipſo communicata docent. I.

1508. *M. lateralis*, antennis ſetariis, nigra, abdominis lateribus baſi ſanguineis. F. Sp. 443. 37.

Muſca rufo-maculata De Geer Inſ. 6. 28. 7. tab. 1. fig. 9.

♀ *Ocyptera lateralis* Fabr. Syſt. Antl. 314. 8. Latr. H. N. XIV. 378. 1.

Frons

Frons cinerea linea media atra, holoſericea. Abdomen baſi rufum linea dorſali nigra, et pilis rudibus hirtum. Viuipara.

Hab. ruri non infrequens. Long. 3½, lat. ¾ lin.

Panzeri *Muſca lateralis* Fn. Germ. 7. tab. 22. neutiquam hanc ſpeciem, ſed *Ocypteram compreſſum* Fabr. Syſt. Antl. 314. 5. ſpectat. I.

1509. *M. pluuialis,* antennis ſetariis, cinerea, thorace maculis quinque nigris, abdomine maculis obſoletis. F. Sp. 443. 40.

Linn. Syſt. Nat. 992. 83. Fn. Sv. 1844.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 259. 68.
De Geer Inſ. 6. 27. 6. Deſcriptio optima.
Scop. Ent. Carn. 891.
Schrank. E. I. 939.
♀ *Anthomyia pluuialis* Meigen.
Muſca pluuialis Fabr. Syſt. Antl. 304. 98.

Cinerea, thorace maculis quinque, abdomine ſegmentis 2. 3. 4. punctis tribus atris, conicis. An vivipara?

Hab. in plantis frequens, ſed amat etiam loca immunda, in ſtercore Hirundinum ſaepe copioſam vidi menſ. Iul. Long. 2½, lat. ⅔ lin.

(p. 308.)

* 1510. *M. proſtrata,* antennis ſetariis, nigricans, abdomine teſſulato. Scop. E. Carn. 877. *M. domeſticae* ſimilis. Celerrime auolans, reuolansque in eumdem locum circa feneſtras. Ante oculos linea ſubtiliſſima argentea. Pedes nigri. Corpus ſubcompreſſum nigricans. *M. feneſtralis* Fabr. ab hac diuerſa videtur.

Hab.

Hab. frequens circa feneſtras choreas agens, et ruri etiam ſub arborum vmbra. Long. 2⅔, lat. ⅔ l.

Plures Anthomyiae exſiſtunt, quibus haec deſcriptio vaga competit. I.

1511. *M. meditabunda*, antennis ſetariis, piloſa obſcura, abdomine cinereo punctis quatuor fuſcis. F. Sp. 444. 46.

♀ *Anthomya meditabunda* Meigen.

Muſca meditabunda Fabr. Syſt. Antl. 297. 68.

Deſcripſit eam Fabricius.

Hab. in pratis et hortis. Long. 2½, lat. ⅔ lin.

1512. *M. ſerrata*, antennis ſetariis, cinerea, alarum coſta pilis breuiſſimis ſerrata, abdomine, pedibusque ferrugineis. F. Sp. 445. 47.

Linn. Syſt. Nat. 993. 86. Fn. Sv. 1847.

M. latrinarum De Geer Inſ. 6. 31. 10. t. 1. f. 15.

Schrank. E. I. 942.

♀ *Anthomyia ſerrata* Muſ. Hellw. Hoffm.

Muſca ſerrata Fabr. Syſt. Antl. 305. 103.?

Frons antennaeque rufae ſeta longa nigra. Ab alarum conſta pilis breuiſſimis ſerrata facile dignoſcitur.

Hab. in latrinis. Long. 2½, lat. ½ lin.

Scutellum noſtris, quae cum Linnaeana et Degeeriana deſcriptione congruunt, cinereum eſt; Fabricius ſcutellum teſtaceum deſcribit, *Muſcamque arcuatam* Panz. Fn. Germ. 60. tab. 15. allegat, quae noſtrae Anthomyiae aliena eſt; inde dubium meum de citato Fabriciano. I.

(p. 309.)

1513. *M. cupraria*, antennis ſetariis, glauca aenea, thorace viridi, abdomine oblongo cupreo halteribus nudis. F. Sp. 446. 52. Linn.

Linn. Syſt. Nat. 994. 92. Fn. Sv. 1853.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 525. 61.
Nemotelus cuprarius De Geer Inſ. 6. 200. 16. t. 12. f. 4.
Scop. Ent. Carn. 911.
Schrank. E. I. 944.
♀ *Sargus cuprarius* Fabr. Syſt. Antl. 256. 3.

Hab. in hortis, foliis inſidens, et loca amans vmbroſa: communis. Long. 6, lat. abd. 1⅙ lin.

Reaum. Inſ. 4. t. 22. f. 7. 8. ab Auctore citatae, aliam ſpeciem *Sargum* nempe *Reaumurii* Fabr. Syſt. Antl. 256. 2. exhibent. I.

* 1514. *M. formoſa*, antennis filatis apice ſetigeris thorace viridi, abdomine coeruleo dilatato. Schrank. E. I. 899.

Muſca formoſa Scop. Ent. Carn. 910.
An *M. polita* F. Sp. 446. 53.
Linn. Syſt. Nat. 994. 93. Fn. Sv. 1854.?
♀ Femina: *Sargus xanthopterus* Fabr. Syſt. Antl. 255. 1.
Mas: *Sargus auratus* Fabr. Syſt. Antl. 257. 4.

Variat abdomine modo violaceo, modo cupreo. Pedum genicula rufa. Deſcriptio Scopolina accuratiſſima eſt, et conuenit omnino cum noſtris. Hab. in hortis, frequens in Roſae foliis. Dum inſidet plerumque alas patulas habet. Long. 3¾, lat. 1⅗ lin.

Haec ſpecies ab affinibus praeſertim antennarum articulo oblongo, nec orbiculato differt. *Sargus auratus* Meigen. Dipt. I. 143. 2 alia ſpecies eſt, vti *Sargus politus* Fabricii ſeu *Muſca polita* Linnaei. Degeerii *Nemotelus auratus* n. 18., quem cl. Roſſi allegat, ad hunc *politum* pertinet, *Nemotelus* contra *flauogeniculatus* eiusdem ſpec. 18. noſter

noſter *Sargus xanthopterus* ſeu *Muſca formoſa* Auctoris eſt. I.

(p. 310.)

* 1515. *M. caeſia*, antennis ſetariis elongatis, nuda, thorace coeruleo, abdomine, pedibusque teſtaceis.

Habitus *M. politae*, ſed minor. Antennae porrectae elongatae, baſi approximatae absque ſeta, capite longiores. Caput fronte viridi. Hauſtellum flauum. Thorax nitidiſſimus viridi-coeruleus. Halteres flaui nudi. Abdomen ouatum compreſſum, pallide teſtaceum. Pedes teſtacei tarſis nigris. Alae hyalinae macula coſtali oblonga teſtacea.

Capta in horto. Long. 2, lat. ½ lin.

Propter ſetam antennarum deficientem Sargi ſpecies eſſe nequit. I.

1516. *M. vngulata*, antennis ſetariis aeneoviridis. F. Sp. 447. 62.

Linn. Syſt. Nat. 995. 97. Fn. Sv. 1858.
Muſca Geoffr. Inſ. 2. 523. 56.
Nemotelus aeneus De Geer Inſ. 6. 194. 15. t. 11. f. 19. 20. cum optima hiſtoria cui nihil addendum.
♀ *Dolichopus vngulatus* Fabr. Syſt. Antl. 266. 3.
Latr. H. N. XIV. 333. 1.
Muſca vngulata Panz. Fn. Germ. 20. tab. 21.

Hab. ad aquas frequens. Long. 2¾, lat. ½ lin.

Cl. Fabricius l. c. ſpecimina deſcripſit Muſei Lundiani lamellis duabus analibus et pedum intermediorum apice claua piloſa nigra inſtructo. Peculiaris ſpeciei ſunt, *Dolichopods plumati* Meigenii. I.

1517. *M. nobilitata*, antennis ſetariis aeneo-viridis, cauda vncinata, alis macula nigra apice alba. F. Sp. 447. 63.

Linn. Syſt. Nat. 995. 98.

Muſca Geoffr. Inſ. 2. 523. 55.

♀ *Dolichopus nobilitatus* Fabr. Syſt. Antl. 268. 6.

Simillima *M. vngulatae*, ſed diſtincta alis macula magna nigra, apice albo. Linn. l. c.

Hab. in hortis vmbroſis. Long. 2½, lat. ⅔ lin.

(p. 311.)

* 1518. *M. virens*, antennis ſetariis, aurato-virens, thorace lineis nigris, pedibus longis. Scop. Ent. Carn. 921.

♀ *Dolichopus regius* Fabr. Syſt. Antl. 267. 5.

Dolichopus virens Latr. H. N. XIV. 333. 2.

Muſca virens Panz. Fn. Germ. 54. tab. 16.?

Antennae nigrae ſub apice ſetam ſeipſis longiorem proferentes. Tuberculum nigrum in occipite, e quo pili duo. Dorſum thoracis lineis quatuor longitudinalibus fuſcis. Alae hyalinae puncto medio fuſco. Halteres flaui. Abdomen teres marginibus ſegmentorum nigris. Pedes longi, obſcurius virides. Scop. l. c. Alae corpore multo longiores. Accedere videtur ad *M. notatam* F.

Hab. in ſilueſtribus. Long. 2½, lat. ⅓ lin.

Thoracis lineae obſcure purpureae; alae ad coſtam fuſcae ſunt et punctum album pellucidum apicis inſigne gerunt. Panzeri icon alas hyalinas immaculatas repraeſentat. I.

* 1519. *M. agilis*, antennis ſetariis, griſea, pedibus elongatis, femoribus tibiisque pallidis, alis puncto nigro oblongo marginali.

Fa-

Facies *Aſili.* Antennae breues, apice ſetigerae. Caput atrum, immaculatum. Thorax griſeo-cinereus. Halteres nudi, pallidi claua nigra. Abdomen elongatum, griſeum. Tarſi nigri. Femora tibiaeque pallidae: Alae hyalinae puncto pone medium oblongo marginali. De genere dubito. Forte Rhagio? Mihi haud recte examinata. Capta iuxta ſepes herboſas. Long. 3, lat. ¼ lin.

Leptidi atratae n. ſeu *Atherici atratae* Fabr. admodum affinis videtur haec *Muſca agilis* Auctoris. I.

1520. *M. ſcybalaria*, antennis ſetariis, rufo-ferruginea, alis puncto obſcuriore. F. Sp. 449. 72.
Linn. Syſt. Nat. 996. 104. Fn. Sv. 1860.
Muſca ſcybalaria Scop. Ent. Carn. 896.
♀ *Pyropa ſcybalaria* Muſ. Hellw. Hoffm.
Muſca ſcybalaria Fabr. Syſt. Antl. 307. 118.

Hanc a *M. ſtercoraria* nonniſi ſexu, et forte ne hoc quidem differre cum Schrankio credimus.
Hab. in ſtercore. Long. 5, lat. 1 lin.

Pyropa ſtercoraria ſeu *Muſca ſtercoraria* Linn. Fabr. a *Scybalaria* vtique diuerſa eſt; eius marem ſub *Muſcae merdariae* nomine diſtinxit Fabricius. Plures Auctores autem has ſpecies confudiſſe, nobis perſuaſum eſt. Caeterum moneo, Pyropae genus noſtrum Latreillio et Meigenio *Scatophagam* audire; *Scatophaga* Fabricii nempe Latreillii *Tetanocera* et *Sepedon*, Meigenii *Dictya* eſt. I.

(p. 312)

1521. *M. fimetaria*, antennis ſubplumatis, liuens, glabra, alis puncto obſcuriore. F. Sp. 449. 75.
Linn. Syſt. Nat. 996. 106. Fn. Sv. 1862.
M. rufa Scop. Ent. Carn. 897.

Schrank.

Schrank. E. I. 951.

♀ *Pyropa fimetaria* Muſ. Hellw. Hoffm.

Scatophaga fimetaria Fabr. Syſt. Antl. 204. 5.

Muſca flaua Panz. Fn. Germ. 20. tab. 22.

Hab. in fimetis. Long. 4, lat. ½ lin.

1522. *M. rufifrons*, antennis ſetariis, cinerea, capite ferrugineo, punctis duobus nigris, alarum coſta nigra. F. Sp. 149. 76.

♀ *Scatophaga rufifrons* Fabr. Syſt. Antl. 205. 7.

Fabriciana deſcriptio repetita.

Hab. in hortis. Long. 3¼, lat. ½ lin.

